ELEMENTA IVRIS CIVITATIS

SEV

POLITIAE

IOSEPHI BERTIERI

I. V. D.

ACADEMICI FLORENTINI &c.

FLORENTIAE MDCCXCV.

APVD CAIETANVM CAMBIAGI REGIVM TYPOGRAPH.

SVPERIORIBVS ADNVENTIBVS.

Nec quicquam ex omnibus rebus humanis est praeclarius, aut praestantius, quam de Re publica bene mereri.

Cic. ad Fam. Lib. 10. Ep. 5.

INDEX RERUM

Quae in hoc Opusculo continentur.

Caput

PRO-

PROOEMIVM

CVm homines undequaque dispersi senserint se innumeris rebus carere ad vitam sustinendam necessariis, in societatem coivere, rati se hoc modo quae deerant commoda sibi invicem comparaturos, itaut tranquillam felicemque vitam simul degere possent. Contrarium tamen fere obtigit. Etenim cum illis in societatem congregatis maior inesse ceperit errorum copia, amor quo seipsum quisque prosequitur vehementius arderet, cupiditatesque acrius stimulos acuerent quam penes alios a societate seiunctos, factum est ut unusquisque propriis magis quam communibus commodis, atque utilitatibus prospexerit. Vt tanto malo afferretur remedium institutae sunt Leges. Hae sunt *Morum regulae desumptae a recta ratione, atque aequitate naturali*, quas viri boni sequuntur ultro, quibusque mali, saltem specie tenus, vi, aut metu poenarum obtemperare coguntur. Earum

quaedam universum societatis bonum respiciunt, aliae vero uniuscuiusque privatam utilitatem. Illae *Ius Publicum*, hae *Ius Privatum* constituunt. Ad vim metumque malis inferendum, Legibusque Populos regendos apud unum, aut plures societas ipsa Ius suum deposuit; atque ita orta sunt *Imperia*, *Regna*, *Principatus*, *Respublicae*.

Huiusmodi Iuris imperandi exercitium vocatur *Regimen*, cuius praecipuus finis est subditas gentes felices reddere, singulorum proprietates servando, curandoque ut virtutem, tranquillitatem, vitaeque commoditates tute assequantur.

Formam Regiminis variam esse expedit pro varietate locorum, climatum, ingeniorum; habito etiam respectu ad populi extensionem, & quantitatem. Etiam familia plurium personarum numero constans diversimode regenda est ab illa quae minori earumdem numero conficitur. Cuiuscumque tamen speciei sint Regimina animadvertendum est quod omnia postquam excreverint, & ad maiorem gloriam, magnitudinemque pervenerint sensim ob commune fatum rerum humanarum labuntur, ac pereunt, quemadmodum inter mortales illi etiam qui optima fruuntur vale-

tu-

tudine. Quam ob rem nihil fere omittendum esse monent Politici quod consentaneum videatur ad ea revocanda ad primordia super quibus Regimina illa constituta sunt, & unde vitam, atque augmentum duxerunt.

Bonum Regimen, quod in arte curandi ut Populus commodam, ac felicem assequatur vitam versatur, *Politiae* nomine venit. Itaque Leges eam respicientes variae esse debent, utpote aptae ingeniis, moribus, consuetudinibus populorum, & locis, aliisque rebus, quae maturam exigunt experientiam, quominus in gravissimos errores labamur. Cognoscenda sunt mala, mente concipienda remedia, vigilandum quoque ut recte, & opportune adhibeantur, sine quo nullius essent utilitatis. Oportet praecepta perfecte sibi invicem convenire quoad singulas illorum partes, atque ita concipi ut nulla exoriatur difficultas dum obsistere velimus cuicumque etiam maximo infortunio quod repente exoriatur, utque serventur Leges, plenamque sortiantur executionem, quin ullo damno fiat locus.

Praeterea quemadmodum patris officium est natos suos alere, & curare non modo ut nihil iis desit quoad vitae neces-

sitates, & commoda, sed insuper ut pietatem, ac bonos mores amplectantur, eosque obiurgationibus, minis, verberationibus corrigere, ne a recta huiusmodi semita deflectant, ita qui regit Populum debet eum quoad Divina, & humana ad virtutem impellere, a vitiis deterrere tum Legibus, tum praemiis, ac poenis illum dirigendo, atque etiam prospicere ut salubriter, ut commode, ut tranquille vitam degere valeat; quae omnia nobis praestat Politia, adeoque recte dici potest *Educatio Publica*.

Neque absque magna ratione apud Politicos Philosophos illa etiam *Rei publicae* nomine venit. Licet enim hisce temporibus hoc nomine tantum designari soleat ea Regiminis forma qua vel universi cives, vel eorum plures imperandi Ius sibi adsciscunt, tamen, ut ait *Cicero*(1), Res publica idem est ac Res communis, hoc est universi Populi utilitatem respiciens.

Tot passa est Europa vicissitudines, tantaque in ea fuit Morum immutatio, ut quae olim sapienter scita erant, nunc inopportuna prorsus facta sint; proindeque innumeras habuit, atque habitura est variationes Politia.

Plura

(1) *Pro Sext. n. 22., & de Orat. n. 152.*

Plura sunt eius fundamenta, atque praecepta, cum multiplicia ea sint quibus prospicere debet, de quibus singillatim sermo instituetur. Attamen qui etiam omnia servaverit in errores labi quandoque poterit, „ cum in nullo penitus peccare Divinitatis magis sit quam mortalitatis (1).„

Actus enim humani sunt varii, parum sibi constantes, atque, ut ita dicam, innumeris elementis compositi, ita ut contineri nequeant sub uno quodam universali principio, quin aliqua a mente effluat specialis ratio, cuius caussa quod recte faciendum videbatur, iam omitti satius esse dignosceretur (2). Plerumque habentur ob oculos quae frequenter contingunt, non autem illa quae ad praecipuas quasdam humanorum actuum conditiones referuntur.

Absit me adeo temere animo elatum esse ut Principes ipsos in hac materia auserim instruere. Tyronibus tantum, qui postquam literarum, scientiarumque principiis vacaverint ad tramites cupiunt convolare, quibus ad publica munera obeunda facilius perduci posse confidunt, Tracta-

(1) *L. 2. §. Si quid autem, Cod. de Vet. Iur. enucl.*

(2) *Grot. de Aequit. num. 2. Turamin. de Legib. Lib. 3. Cap. 3. in princ.*

ctatio haec non inutiliter, ut puto, proponitur. Nil enim tam parum usitatum esse videtur quam Politiae studium, licet nullum aliud in vita civili magis sit necessarium.

Etenim in magnis Civitatibus constitui solent tum superiores, tum inferiores Politiae Ministri in ea versatissimi, tantaque fulgentes virtute, atque scientia, ut illis Princeps habenas Regiminis tute fidere valeat. In aliis vero Regionibus vel unus tantum, vel pauci admodum tum Criminali, tum Civili Iurisprudentiae, tum denique Politiae non raro praeponi solent. Et tamen in huiusmodi locis non modo eadem contra Ius fiunt quae in Civitatibus, sed immo magis, & crebrius ut plurimum Politiae praeceptis obsistitur, cum frequentiora inibi esse soleant iurgia, arbitria, tumultus, factiones, seditiones, ac privatorum iniustitiae, quae a rudi pravaque morum institutione, atque otio sumere videntur originem.

Verum licet Politiae rudimenta Adolescentibus, atque aliis quibus nondum innotuerunt tradere statuerim, illa tamen altius aliquantulum repetenda esse censui. Res enim non modo indecora, verum etiam periculi plena esset illos praeclaram

vir-

virtutis, & gloriae semitam, qua pergunt Principes, felicitatem subditis gentibus comparando non ratione ductos, sed tantum more, atque exemplo sequi debere.

Exponam tantum principia Theoretica, & Practicae universalis, particularem omittens, quae ex publicis Hetruriae Legibus, privatisque Instructionibus eruitur; cum illas universorum civium officium sit scire, atque ita iuvet praesumere quod revera contingat, harum vero, quae publice revelanda non sunt, iniuriosum sit eos qui Politiae praesunt ignaros putare. Insuper cum Praxis in hoc genere, ut dictum est, multis, ac frequentibus immutationibus subiiciatur relinquendum existimavi Optimo Principi, qui in Hetruria, & pro Hetruria natus ad constituendam suarum Gentium incolumitatem, ac prosperitatem toto pectore incumbit, curas in sinu Pacis ad rem istam permagni sane momenti convertere, ac videre utrum satius sit Leges iam super ea vigentes, ac prope extinctas excitare, ut iterum reviviscant, aut iisdem novas substituere.

Malim ego flosculos carpere, quam totam materiam exhaurire; perraro enim abundantia verborum ab oscitantia legentis seiungitur. Praeterea omnibus absolutum

nu-

numeris opus in lucem proferre impossibile est mihi, quem plurimae Officii caussa occupationes nullo non tempore distinent. Vereor insuper ne mihi vitio vertatur a me ea dici quae ab aliis iamdiu dicta sunt. Sed quomodo ab hoc abstinendum postquam rem istam tot pertractaverint docti Viri, ex quo in Europa ad summum prope perfectionis apicem Politia est perducta? Tamen cur silentio praeteream veritates potius quam ingenue fatear ab aliis illas fuisse traditas? Debet ne Ius istud perverti ut nova in vulgus efferantur? Forsitan mihi laus erit tribuenda in exiguam molem collegisse Principia in quibus expiscandis plura essent pervolvenda volumina. Videor etiam mihi audire aliquem dicentem, me exigua nimis, atque, ut aiunt, Lippis, & Tonsoribus nota exposuisse principia. Eum tamen obsecro ut *Appium Claudium* audiat ita apud *Livium* (1) respondentem: „ Parva sunt „ haec, sed parva ista non contemnendo „ maiores nostri maximam Rempublicam „ fecerunt. „

Lubens hunc laborem suscepi, ratus me ita Optimo Principi, ac Patriae, praeter

(1) *Historiar. Lib. 5.*

ter Ministerium quod iam octodecim annos totis viribus obeo, nonnihil additurum, atque humano generi, quod insito quodam mihi a natura amore semper prosequutus sum, aliquam adlaturum utilitatem; quae si contigerint me cum Craeso certare de felicitate paratum fore non dubito.

Quaedam ex Historia Politiae deprompta.

HEbraei, primi inter Populos terrae, primi etiam omnium Politiae regulas dignoverunt. Aperiantur Moysis Libri, perspiciemus Leges vetantes Idolorum cultum, blasphemiam, libidinem, luxum, intemperantiam; Iussa de Festis diebus, de Officiis parentum, atque filiorum, Dominorum, iisque inservientium; Decreta sumptuaria ad modestiam, & frugalitatem excitandam; uno verbo Iuris Collectionem, quae apud Ecclesiasticos, Civiles, & Militares status ordinem servaret, Religionis, Morumque puritatem sarctam tectam teneret, efficeret ut florerent Artes, & Commercium, ut Populo sanitas, ac securitas compararetur, conservarentur aedificia, alerentur Pauperes,

atque

atque hospitalitati faveretur (1). Iethro sub Moyse veniens in desertum ad Israelitas ordine quodam distribuit eorum Politiam, quae variis commissa fuit Iudicibus; hinc in Civitate Ierusalem plures eorum creati, eaque ob hanc caussam in quatuor distinta Regiones, quarum unicuique Praefectus, atque alius qui illius vices gereret, constituti fuere.

Varia in hac re principia apud Aegyptios reperta sunt a Menete, atque ab Hermete Trismegisto.

Athenienses instituerunt Magistratum, a quo extrahebatur Praeses, cui tradita erat Politia. Reipublicae vero administrandae praeerant Archontes, ac Tribunal, quod vocabatur Areopagus; nec deerant illis Exploratores, atque Inspectores, omnesque vocabantur Custodes Executionis Legum. Erat Inspector Religionis, ac Morum, Muliebris decoris, Chorearum, publicae tranquillitatis, & commoditatis, Annonae, Nundinarum, Commercii, Ponderis, & Mensurarum. Hisce sapienter constitutis tempore Miltiadis, The-

(1) Legenda sunt verba Sacrae Scripturae Expositoris *Abulensis Quaest.* 16., ubi Moysis exemplo recte constitutae Politiae in Civili societate maximam esse necessitatem ostendit.

Themistoclis, Aristidis, Pithagorae, & Socratis aurea probitatis, magnanimitatis, humanitatis, atque hospitalitatis saecula Athenis floruerunt.

Reliquae Graeciae Civitates in duas, tres, aut quatuor partes dividebantur pro illarum magnitudine, ex quo vocabantur *Dipolis*, *Tripolis*, *Tetrapolis*.

Lycurgus sapientissimis Legibus ita Lacedaemoniorum animos composuerat ad iustitiam, obedientiam, patientiam, morumque integritatem, ut dictum subinde fuerit in ea Republica nasci viros sapientes, ipsumque regionis aerem inspirare virtutem videri; quare eorum Regimen quingentorum annorum spatio constitit.

Nomen Politiae apud Graecos ad universas Regiminis formas protendebatur. Conservationem, prosperitatem, atque voluptates vitae potissimum illi habebant ob oculos. Pro conservatione vitae intellexerunt quodcumque respicit ortum, valetudinem, & alimenta. Curabant ut aer, aquae, & cibaria salubria essent, ut medicamenta recte conficerentur; ut Medici honestate, ac scientia pollerent, utque civium numerus augeretur.

Romani initio habuerunt *Praefectum Urbis*, qui Conditoris Romuli vices gereret.

ret. Postea sub Regibus duo electi sunt *Quaestores* ad crimina investiganda. Consulum tempore creati sunt *Tribuni Plebis*, quorum erat Officium Iura Populi servare; atque ut iis praeberent auxilium *Aediles*; quibus commissa erat aedium conservatio. Hinc anno ab Vrbe condita CCCXIII. missi sunt Legati in Graeciam ut Legum, ac Sapientiae cognitionem adquirerent; adeoque illorum Politia eamdem prope sequuta est Divisionem ac illa Atheniensium. Deinde electi sunt duo *Censores*, ut ad illa omnia incumberent quae respicerent Civium mores, & disciplinam; illi vero sibi adiunxere *Curatores Vrbis*, ut inter caetera praeessent Annonae, Ludis, atque Spectaculis; eorumque Officium fuit praecipuus veluti gradus ad sublimiores Reipublicae Dignitates adsequendas. Inde creatus *Praetor*, cui *Aediles* subiecti, *Centumvirorum* Consilium conflatum quinque Viris ex unaquaque Tribuum, quae erant triginta quinque, in quas Vrbs illo tempore dividebatur. Aedilibus additi sunt decem alii, qui nuncupati sunt *Aediles Incendiorum extinguendorum*; aliique duo a Iulio Caesare pro Annona, nomine *Aedilium Cerealium*, omnesque agebant *Delegatione*, & *vice Praetoris*. Praetor Vrbis ha-

habebat quoque Collegam pro negotiis exterarum Gentium sub titulo *Praetoris Peregrini*. Augustus Caesar Praetorum numerum imminuit, eosque subiecit *Praefectui Vrbis*, cuius iurisdictio super universam Civitatem, atque Arva suburbana protendebatur, illudque Munus tanti habitum est momenti, ut Imperator illud Genero suo Agrippae primum contulerit. Incumbebat autem ad ea omnia quae publicam respiciunt utilitatem, Civiumque tranquillitatem; ad Emptiones, Venditiones, Pondera, Mensuras, Artes, Spectacula, Horrea publica, Frumentorum collectiones, Ludos, Aedificia, ac refectionem viarum. Sustulit inde Augustus Aediles, Praetoresque, illis substituens quatuordecim *Curatores*, aut *Inspectores Vrbis*, qui etiam vocati sunt *Adiutores Praefecti Vrbis*, Civitatemque in totidem partes divisit. Creavit etiam *Praefectum Annonae*, ac *Triumviros Nocturnos*, ut noctu publicae excubarent quieti, quibus suffectae sunt delectae quaedam Cohortes, quas Dux regebat *Praefectus Vigilum* nuncupatus. Alium elegit Augustus qui praeesset Aquaeductibus, *Inspectorem Viarum*, varios *Denunciatores*, aliosque arma gerentes, qui manum fortem praestarent, pluresque

di-

dictos *Stationarios*, qui statuta quaedam occuparent loca in Civitate, atque tumultus compescerent.

Ab expulsis Regibus usque ad secundum Bellum Punicum tam cordibus insitus, tamque communis erat Romae apud cunctos Ordines amor iusti, & honesti, fidelitatis, omniumque virtutum, ut illa morum praestantia a Cicerone dicta fuerit „ virtus temporum, non hominum. „ Bruti, Valerii, Publicolae, Curii, Fabricii, Marcelli, Scipionis, aliorumque fortium Virorum virtutes, totque praeclara scripta Moralis Philosophiae praeceptis mirifice repleta amplissimum huius rei exhibent testimonium.

Quoad reliqua Imperii loca statuerunt Romani omnes Civitates sequi debere Vrbis Romae consuetudinem. Itaque ad quamlibet devictarum Provinciarum miserunt *Proconsulem*, indutum auctoritate, muneribusque oneratum Praefecti Romae, & Consulis; cui postea adiectus est *Legatus Proconsulis*, inde vero unus eorum pro quavis principali Civitate, qui dicti sunt *Servatores Locorum*, cum animadversum esset id Politiae convenire, quae assiduam praesentiam, & non interruptam vigilantiam exposcit. Ad regendos Gallos positus

tus est *Praeses*, aut *Proconsul*, aliique vocati *Iudices Ordinarii*, *Iudices Pedanei*, *Magistri Pagorum*. Constantinus autem Imperator subiecit eos *Praefectui Praetorio Gallorum*.

Imperatorum temporibus Officiales Politiae praepositi nuncupati sunt *Curatores Vrbis*, *Vicarii Magistratuum*, *Parentes Plebis*, *Defensores Disciplinae*, *Inquisitores*, *Discussores*, & in Graecis Provinciis *Irenarcae*, idest *Moderatores*, aut *Pacificatores*, atque ad explenda eorum mandata illis dati sunt *Apparitores Stationarii* (1).

Omittam singillatim varia recensere principia, quae postmodum apud cultiores Europae gentes invaluerunt, quibus universis summopere cordi fuit tranquillitas, atque commoditas vitae civium, cum non Politiae historiam, verum universalia eiusdem Principia enucleare mihi proposuerim.

Solum non erit, ut censeo, inopportunum nonnulla summatim attingere quoad Politiam Galliae, ubi singulari alacrita-

(1) Videnda est in hac re *Io. Augusti Bachii Historia Iurisprudentiae Romanae*, atque alii plures, qui de Romanorum Antiquitatibus scripserunt.

tate; & cura gravissimo huic Regiminis Fundamento iamdiu vacatum est, adeout Gens illa dum maximis pacis bonis perfrui potuit aliarum omnium Nationum in hac re admirationem, ac laudem sibi comparaverit.

Galli sub iugum Romanorum redacti, quique postea a *Francia* Germaniae Provincia nomen susceperunt, adeoque dicti sunt *Francesi*, sub ditione primorum Regum servaverunt Romanorum Politiam, quam administrandam tradiderunt quibusdam illorum Militiae Ducibus sub nomine *Primatum*, *Ducum*, *Comitum*, *Magistrorum*, & similibus, ac Praefectui Praetorii Gallorum substitutus est *Comes Palatii*, qui postea vocatus est *Maire du Palais* (1). Deinde vero cum huiusmodi Ministri ampliorem sibi auctoritatem adsciverint onera illa a se removerunt, ea transferentes in alios inferiores, ex quo venerunt *Vice-Comites*, *Praepositi Iuri dicundo*, *Vicarii*, *Castellorum Custodes*, *Maiores Villarum*. Postea

(1) Vox illa *Maire*, cuius usus nostris temporibus Lutetiae manere videtur, significat Caput, aut princeps Tribunalis, vel cuiusdam Corporis Politici. Desumitur sive a Latino vocabulo *Major*, sive a Germanico *Meyer*, idest Caput, aut Praefectus.

Postea vero ad res bellicas prorsus conversi huius naturae negocia reliquerunt aliis, qui dicti sunt *Baillis*, *Protectores*, quos sequuti sunt *Praepositi Regii*, praeter quos in diversas Regni Provincias alii etiam Ministri diversimode nuncupati diffusi, atque dispersi fuere.

Lutetiae sub Imperatore Aureliano Politia commendata erat Romano Magistratui, qui primum vocabatur *Praefectus Vrbis*, ac subinde dictus est *Comes Parisiensis*, cui addictus erat *Vice-Comes*, atque sub diversis Gallorum Regibus varia fuerunt nomina eorum qui Politiae praefuerunt, quos inter magni habita est Dignitas eius qui vocabatur *Praepositus*, aut *Praeses Parisiorum*, *Le President de Paris*. Ludovicus XIV. primum a contentiosa civili Iurisdictione Politiam segregavit, addens Praesidi duo, qui illi essent a Consiliis, eiusque Locum tenerent, quorum alter Causis Civilibus, alter autem Politiae addictus fuerat, unde exortum est Politiae Tribunal a quocumque alio munere omnino seiunctum. Qui sub Praeside illo iussi sunt curare ut rectus ordo servaretur dicti sunt *Commissaires*. Isti Lutetiae magnum excreverunt in numerum, atque usque ad quinquaginta quinque. Eorum autem offi-

cia recentioribus temporibus redacta fuerunt ad conservationem Religionis, recti ordinis, ac publicae securitatis, & ad curandam morum integritatem, sanitatem, atque annonam. Distributi sunt in omnes Civitatis partes, quae erant una & viginti, cuius singulis duo, aut tres illorum praeerant.

Galli, & plerique alii Europae incolae eorum Politiam ex antiquis Gentibus magna ex parte sumpserunt, hoc discrimine quod Religioni enixius, ac diligentius vovere studium. Pro exemplo sit quod Ludi, atque Spectacula penes Graecos, & Romanos magnam Politiae partem constituebant. Ratio erat ut illorum frequentia, ac magnificentia augeretur. In Europa autem nil aliud plerumque in hoc genere Politiae est prospiciendum, quam ut corrigantur abusus, ac tumultus impediantur.

Politiae

Politiae Ethymon, Definitio, & Finis.

POlitiae vox oritur a πόλις, *Civitas*, ex qua confecerunt Graeci πολιτεία, *Ius Civitatis*.

Definiri posse videtur: *Ars qua hominibus in societatem publicam congregatis tranquillitas, & commoda vitae comparantur*.

Ab ea differt *Politica*, τὸ πολιτικὸν, *Civilitas*, quae est *Pars Philosophiae*, *qua docentur homines se prudenter gerere in regendo Populum, aut Familiam privatam*.

Vtraeque tamen in eo conveniunt, quod Civilis vitae praecepta contineant.

Politia praecipue respicit I. *Religionem*. II. *Morum disciplinam*. III. *Securitatem, atque tranquillitatem publicam*. IV. *Sanitatem*. V. *Pauperes*. VI. *Scientias, atque Artes Liberales*. VII. *Artes Mechanicas*. VIII. *Commercium*. IX. *Annonam, atque alia, quae ad alendos Populos sunt necessaria*. X *Officia quoad vitam Civilem*.

De hisce omnibus agam, ac praeterea quaedam adiiciam de *Causis Civilibus*, cum plerisque in locis mos inoleverit ea-

rum quoque aliquam cognitionem Politiae Ministris tradendi; ac denique *quomodo ipsi se gerere debeant ut proprio recte fungantur Munere*, exponam; proindeque duodecim Capitibus Tractatio omnis absolvetur.

Pleraeque Politiae partes, quas enumeravimus multa habent inter se communia, atque connexa, adeout quandoque de una illarum verba fieri nequeant quin etiam de altera aliquantulum sermo instituatur.

CA-

CAPUT I.

De Religione.

NEminem latet ab universis Hominibus, atque adeo a Supremis quoque Potestatibus Deum Optimum Maximum amandum, timendum, & colendum esse tamquam summum rerum omnium Conditorem, ac Moderatorem, qui cuncta largitur quibus in hoc Orbe Terrarum perfruuntur Mortales, quique dat atque adimit Sceptra, ita ut sperandum sit ut prospera futura sint eorum Regna qui eius sustinent Religionem. Cum tamen non desint piissimi Antistites, ac Theologi doctissimi, a quibus tota ferme Europa doceatur illam Sapientiam quam ex corde veram profiteor, quaeque in timendo Dominum consistit, satis sit pro Instituto meo ante aliorum oculos exhibere quanti ponderis sit pro recto conservando Regimine Religionem quoque pie constanterque servari.

Nullo quidem arctiori freno Mortalium corda valent cohiberi quam suasione Immortalitatis Animae, praemiorum, at-

que

que poenarum post obitum. Haec idea in nobis excitatur ex alia Divinitatis. Nil ergo illa validius ad quamlibet Iurium violationem impediendam. Metus Civilium poenarum, quas vitandi, aut eludendi plerumque non desunt viae, indomitarum hominis cupiditatum impetum male posset retinere. „ Quid faciet (ait Cicero,) is „ Homo in tenebris qui nihil timet nisi „ Testem, vel iudicem? (1) „ Incutienda est illi formido interna, constans, perque singulas naturae nostrae partes diffusa. Quid aliud ergo huiusmodi esse potest quam Idea Divinitatis, quae ubique adsit, & vigilet, tamquam immutabilis scelerum Vindex?

Ista vero Idea adeo est naturae hominis consentanea, illique inhaerens, ut qui eam delere ex eorum mente niteretur efficeret quidem ingentem impiorum numerum, qui etiam forsitan aliquatenus augeretur, numquam tamen obtineret ut Gens integra in eo conveniret, utque plures homines de hoc non perhorrescerent, nefariisque opinionibus non reluctarentur; quare Civilis societas ex hominibus nullam Religionem agnoscentibus penitus con-

flata

(1) *De Legib. Lib.* 2.

flata numquam subsisteret, sed chimerica prorsus dicenda esset. Audies Romanae eloquentiae Patrem dicentem: „ Pietate „ sublata Fides etiam, & Societas huma- „ ni generis, & una excellentissima vir- „ tus iustitia tollitur. (1) „

Est autem *Religio Divinitatis, cultusque illi debiti cognitio*, seu *vinculum, quo homines Deo coniunguntur, ac devinciuntur, ut ad servandas illius Leges inducantur.*

Dividitur in *Naturalem*, seu *Moralem*, quae oritur ex ipsa natura, ex qua docemur colendum esse Ens Supremum rerum omnium Auctorem, & Conservatorem, & quaedam esse debere hominum officia reciproca, si considerentur tamquam ex illo Ente creati, & *Revelatam*, idest per principia quae naturae nostrae vires excedunt docentem quid Enti illi, idest Deo, quid aliis hominibus, quid denique nobismetipsis debeamus. Vtraque agnoscit Numen, vitam futuram, praemia, poenasque, postrema tamen admittit insuper Divinitatis missionem, atque edocet qualis esse debeat cultus *interior* ad eum amandum, ac metuendum, illique obedien-

(1) *De Nat. Deor. Lib. 1.*

endum, & *exterior* ad patefaciendos intimos erga illum cordium hominum sensus.

Eruitur autem Cultus ex ipsa natura hominum, in quibus Pietas est Virtus, proindeque ab illis numquam eliminandus; debent enim invicem semetipsos ad pietatem excitare. Ipsi quoque Ethnici Divini Cultus necessitatem dignoverunt. „ In-„ ter curas publicas prima de Rebus Di-„ vinis, „ ait *Aristoteles* (1), qui postea subdit nil esse maioris momenti, quo Principum corda valeant occupari (2), ipsique Principes hanc veritatem perspexerunt: Lege enim Regia a *Iusto Lipsio* relata sancitum est: „ Deos Patrios colunto. „

Si Religionis vis est ut dirigantur homines quominus turpes animi motus sequantur, ut veritatis illustrentur splendore, ut conserventur, illisque feratur auxilium, nulla mihi sese exhibet Religio, quae ad finem istum ocyus, ac rectius perducat, quam illa Evangelii, Lex intemeratae Iustitiae, solidae pietatis, candidae dilectionis, ac mansuetudinis, quae iubet alterum alteri opem ferre, fovetque spiritum pacis, proindeque aptatur prae cae-
te-

(1) *Politic* 3.
(2) *Politic*. 7.

teris etiam ad praesentem vitae felicitatem, cum vitium eliminet, virtutem extollat, neque aliquem laedi, cuiuscumque sit Gentis, aut Religionis permittat (1). Proponit illa felicitatem, quae in altera vita post mortem sita est, atque ita suavissima spe afficit virtutem, iustis terroribus vitium, ac maxima pollicitatur poenitentiae solamina. Si recte Religionis huius mente adsequaris praecepta, comperies eam mores lenire, firmiora efficere Imperia, effraenam licentiam tum a Principibus, tum a subditis Gentibus eliminare, cum ostendat nos omnes esse unius Omnipotentis Conditoris filios, atque universam hominum speciem nil esse tandem quam unam, eamdemque familiam; quo pacto arctissimo invicem homines alligat vinculo, alit ac fovet in cordibus amorem erga omnes, atque ita etiam erga Concives, & Patriam, qui amor longe praecellat studio propriae utilitatis, commoditatis, divitiarum, ipsiusque vitae, modo ita Pietas, ac Virtus suadeant. Cunctas admittit formas Politici Regiminis, cum nos prompte obtemperare, ac perpetuo subiacere summis Potesta-

---

(1) *Ioann. Cap. 4. D. Paul. ad Corinth. Cap. 13.*

statibus doceat (1), atque aperte prohibeat sectatoribus suis in aliqua se immiscere conspiratione, docens reddenda esse quae sunt Caesaris Caesari, atque auctoritatem *Vnctorum Domini* a Deo ipso procedere, a quo Potestas Saeculi quodammodo particeps fit eius Potestatis super homines pro illorum utilitate, quodque Principes sunt Ministri a Deo praepositi, ut Augustae eius Maiestatis in terris specimen praebeant, utque eius voluntatem exequantur, atque ita illos immunes efficit super terram ab omni investigatione, ac rationis redditione quoad usum Auctoritatis super subditas Gentes (2). Commendat Apostolus Christifidelibus ut offerant preces pro incolumitate omnium qui Supremam exercent Auctoritatem pro quiete publica (3). Illi autem qui sunt Ecclesiae addicti non modo tamquam Cives, & mem-

(1) *D. Petr. n.* 13. „ Subiecti estote omni hu„ manae creaturae propter Deum, sive Regi, qua„ si praecellenti, sive Ducibus, tamquam ab eo „ missis. „ Itaque quod de Rege, aut de Principe dictum est ad alias etiam referri debet Supremas Potestates, puta Respublicas. Nulla etenim in Novo Testamento praecipua Regiminis forma Divinitus proponitur.

(2) *Regum Cap.* 26. *v.* 9. *Apost. ad Romanos n.* 13.

(3) *D. Paul. ad Timoth. Cap.* 2.

& membra Corporis Politici, verum etiam vi Iurisiurandi Fidelitatis duplici ad hoc faciendum coguntur vinculo. Adde quod cum Religio Catholica sit una, & universalis videtur esse etiam omnium ad universam Populi societatem servandam aptissima.

Item eo solum quod Divinam possidet Revelationem omnibus quidem utilitate, ac magnitudine praecellit, felicesque mortales ipsa tantum efficere potest. Vero sapientiae praefulgens lumine, sibimetipsi in partibus singulis perfecte conveniens, Supremi Entis Magnitudini, simulque hominis indigentiae aptata sola potest Cives efformare qui propria noscant officia, qui illa recte, ac fideliter implere cupiant, quique demum quam Religioni debere se putent tam etiam existiment debere Patriae.

Felices ergo qui educationis secundum Evangelicae Moralis principia maximum bonum sortiti sunt, nimiumque felix Hetruria, quae in Principe Religioni summopere addicto exemplum habet ob oculos, cuius ope validissime confirmari possit in amore Divini huiusce Depositi, quod dum nobis futurae vitae parat felicitatem, in praesenti etiam nostrum verum efficit bonum.

Hisce

Hisce principiis fortasse longius quam par est praemissis, superest proponere quo pacto Religio promovenda sit, ac defendenda.

Promovetur Religio dum omni studio prospicitur ut nihil desit quod conferre valeat Divino Cultui augendo, Pietatis actibus exercendis, ac Populis super Religione, rectisque moribus instruendis, ut Sacris quibuscumque Locis, atque Personis habeatur honor, ac veneratio, ut Solemnia quae fiunt vel in Templis, vel circumeundo per vias Civitatis qua opus est decentia, atque ordine absolvantur; ut Festis diebus Populus a vetitis abstineat operibus, utque Romanorum etiam Pontificum pareat praeceptis.

Quoad Sacras Personas si in aliquo defecerint optandum esset, ut, quatenus Patrio Iure constitutum fuerit, aut permissum, vel ad eorum Ordinarios, ut aiunt, remitterentur, vel si corrigendae fuerint a Iudice Laico id fieret clam, & absque ullius admiratione. Mores enim earumdem, praesertim si de Parochis agatur, in illos Populi magnopere influunt.

Ad dies Festos quod attinet curandum quidem ut suppleatur operibus Religioni debitis, simulque illis sine quibus

stare

stare nequit Societas publica; nimiam moderando facilitatem, atque eodem tempore cavendo ne quis praeter Legum sanctionem, ac spiritum vexetur. Horis quoque quibus Divino Cultui nil adimitur nonnulla permittenda esse videntur publica oblectamenta, quae a morum honestate minime abhorreant; otium enim in quo desideret Populus nullo vacans exercitio deterioribus forsan operibus ansam praebere posset.

Defenditur autem Religio non modo totis viribus Impietati obsistendo, quae aperte illam oppugnat, sed etiam ab illa arcendo quae eius vim possent in animis hominum labefactare.

Caveatur igitur ne a quovis vel typis tradatur, vel scribatur, vel ore proferatur aliquid quod Religioni possit officere, neque suscitentur inutiles sermones, vociferationes, atque opinionum in hac materia varietates. Quod si fieri nequeat quominus controversiae quaedam exoriantur, illi qui praeest Religioni decisio prorsus relinquatur, ac reprimantur qui illi renuerent acquiescere: omnis tamen adhibenda est auctoritas ut initio statim removeantur quoad fieri potest, ne quis vereatur fore ut Fidei unitas pervertatur. Neque permit-

ten-

tendum ut praeter necessitatem esculenta carnium, & similia prostent, aut venundentur, aut illis quisquam vescatur, praesertim publice, iis diebus quibus Praecepta Ecclesiae id fieri vetant.

Insuper ad Religionis defensionem pertinet duo ab eiusdem exercitio removere mala, quae aut à malitia, aut ab ignorantia suscitata sensim invalescere solent, scilicet *Superstitionem*, & *Abusum*.

Superstitio est *falsa Divinitatis Idea*.

Vocatur a Graecis Δεισιδαιμονìα, idest Formido, & horror Divinitatis (1).

Est quoddam veluti Religionis venenum, quod apud nonnullos praesertim, licet Evangelicam servantes Fidem, Boreales, atque Orientales Populus existit, ex quo fiunt homines aut infelices, ac stupidi, aut interdum feroces, atque perversi. Quare exterminandum omnino est a Civili Societate.

Religione abutuntur qui ad alium finem

(1) Sunt qui putant huius verbi Ethymon originem duxisse a Parentibus apud Ethnicos, qui cum Filios viderent in vitae discrimine adductos a Diis petebant ut sibi *superstites* forent, quod nimiis fieri solebat Ceremoniis. Quodcumque excedit Religionis officia, tribuitque Supremo Numini Cultum magis artificiosum quam debetur, *Superstitio* vocatur.

nem convertunt opera quae ad Divinum Cultum externum apta esse viderentur.

Id non raro usuvenit penes quasdam Hominum Societates, quae postquam extrinsecus prae se tulerint Gloriam Divini Numinis, non tam sponte collata quam quaestu praeter necessitatem congregata pecunia Festa quaedam eximia pompa, atque ostentatione celebrantes epulantur sumptuose, inebriantur, luxuriantur, atque cupiditatibus cuiuscumque generis habenas solvunt, multaque interdum in Legum ipsarum spretum audacter agere, aut loqui non dubitant. Quid dicam de iis qui ad ornatum sacrarum Aedium, vel ad aliud pietatis specimen praebendum magno sumptu plura ementes aes alienum contrahunt, cui cum solvendo non esse se noverint tergiversantur, pravisque utuntur calliditatibus ut eludantur venditores? Proh Deum immortalem! Nonne impietas potius quam pietas ista nuncupanda?

Sunt etiam qui sub velo Religionis tegunt superbiam, nimiam sui ipsius aestimationem, & despectionem aliorum, adeout illorum praecipua sit occupatio aliena opera investigare, atque contemnere.

Alii se voventes avaritiae ita res sacras componunt, atque aliorum pietate ab-

abutuntur ut non Templo, sed sibi thesaurum congerant. Illis aptanda esset veteris Poetae interrogatio:
Dicite Pontifices in sancto quid facit aurum?

Non tamen eos aspernari auserim qui intuitu pietatis, absque ullius detrimento, & absque Legum violatione pecuniam, aut munera locis, aut personis sacris largiuntur: neque supervacaneam omnino esse puto in Templis magnificentiam. Cum enim pauci inter homines sint Philosophi, plures autem ex adverso rudes, qui admodum commoventur extrinsecis speciebus, ornamenta ipsa populos revocant ad Divinam Maiestatem, ac Coelestem gloriam contemplandam, eo fere modo quo a sacris Imaginibus mentes, & corda hominum excitantur ad ea quae repraesentant veneratione, atque amore prosequenda.

De stipe pro rebus sacris cogenda, vel non, extant pluribus locis praecipuae Leges, quas pro opportunitate quisque consulere poterit.

Omnes igitur quos exposuimus abusus, aliique qui forte insurrexerint tollendi quidem sunt a Civili societate, quominus integritati obsint Religionis, aut hinc fiat ut aliquis de ea nimis audacter atque impie cogitet. Haec tamen omnia leniter

fa-

facienda sunt, atque collato studio, & opere cum iis qui pro locorum diversitate praesunt Religioni, ac monendus est populus, validisque rationibus illi suadendum est, ut ab errore suo resipiscat potius quam vi ac minis terreatur. Facile enim in his rebus illius animus exasperatur, cum existimet se vera credere, Regimen autem a veritate, ac Fide aberrare; quod non modo maximam inferret iniuriam, verum etiam indignationem, despectionem, exitiale denique exemplum excitaret, cum putent cives quod eorum intersit opiniones suas ad illas Principis conformare.

Vigilandum praeterea ne quid novi agatur, struaturque in hac materia, ex quo summa Potestas, eiusque Regimen aliquid detrimenti capiant. Etenim Sacerdotium, atque Imperium inter se convenire, iurisdictionis suae fines servare, ac secundum mensuram publicae utilitatis limitare maxime oportet; cum grata esse Deo illa pietas nequeat quae bonum publicum destruit, quemadmodum numquam publico bono prodesse valet quod laedit pietatem.

Neque Religioni obstare censeo prudens illud, ac sociale commercium quod subsistere videmus quotidie inter eos qui sequuntur Evangelii praecepta, aliosque

ea non servantes, & Gentes etiam quae diversam profitentur Religionem; cum ita serventur vincula civilis societatis, quin infringantur iusta, ac necessaria principia amoris, mansuetudinis, atque humanitatis. Hoc tamen intelligendum de communicatione Civili, & Politica, ac intra fines qui a Romana Ecclesia statuuntur,

Religio ipsa, de qua huc usque actum est, per se sufficere videretur ad Mores hominum recte instituendos, tamen non abs re erit de iis quoque disserere.

CAPVT II.

De Morum Disciplina.

PRaeclara illa Lex Romana: „ Mores „ Populi regunto, „ indita Censoribus Populi, maximi est quidem momenti (1). Etenim, ut animadvertit *Montesquius* (2), omnium Legum est utilissima quae Mores hominum dirigit; pluraque corruerunt Dominia ob violationem honestatis quam Legum, cum non criminibus tantum destruatur virtus, sed etiam omissio-

(1) *Cic. de Legib Lib* 3.
(2) *Esprit des Loix Livr.* 5. *Cap.* 19.

sionibus officiorum, propensionibus ad vitia, voluptatibus, ac nimia propriae utilitatis cupiditate, ob quam Patriae amor friget, atque languescit; contra vero recta Morum Institutio viros fortissimos parit ad eius defensionem, & gloriam, ac, ut ostendunt Politici, auget numerum civium. Nulla est hominum qualitas, gradus, ac differentia, quae aliqua super Moribus vigilantia non indigeret. Praesertim vero qui Nobilitate praefulgent optandum est ut plebem virtute etiam praecedant. Nam si corrupti mores cuiusvis e populo, licet infimi ortus sit, adeo ad se concivium oculos convertunt ut plura ex eo saepe exoriantur exempla vitiorum, quanto magis inficere posset eorum animos vitiosus ille qui conditionem a natura susceperit quam quisque avet aemulari (1)?

In Moribus autem instituendis curandum ut recte spiritus, & cor civium efformetur, ut regulae aptentur quidem varietatibus, usibus, ac necessitatibus nationis, sed numquam eam capiat oblivio virtutis, atque amoris recti, & honesti. Vnica haec sunt instrumenta in hoc Orbe terrarum, quo-

(1) *Cic. de Legib. Lib.* 3. „ Ego autem Nobilium „ vita, victuque mutato Mores mutari Civitatum „ puto. „

quorum ope obtinetur minimum malorum, sine quo nec homo potest felix esse, nec Regimen conservari, ac tranquillitate gaudere; etenim omnis politica, atque oeconomia, quae virtute, atque honore minime nitatur destruit semetipsam.

Oportet hominem ab ineunte aetate instrui ad laborem, ad sobrietatem, ad moderationem, morumque simplicitatem, ad veritatis amorem, atque odium mendacii, quo Deus, nosmetipsi, aliique laeduntur, ad pietatem, ad compescendam sui ipsius amoris audaciam, ex qua complures exurgunt cupiditates, ad dignoscenda iura, atque officia humanae naturae. Efformentur cives apti ad artes, scientiasque, ad commercium, ad bellum, ad politicam, ad sacra munera, atque ita redigantur nationis necessitates ut eius viribus respondeant, ne impar sit iis omnibus supplendo, utque minuantur crimina, atque prosperitas augeatur.

Optandum quoque esset, ni fallor, iuventuti non suppetere nimiam facilitatem eas adsequendi voluptates quae virtuti adversentur; qua de caussa nonnullis in locis quaedam de Theatris, aliisque spectaculis, atque oblectamentis sancita sunt; item de ludis tesserarum, aut aleae, aut si-

mi-

milibus, qui numquam permittendi sunt his locis, modis, atque temporibus quibus per Leges non liceret iis vacare, ne praeter honestum levamen otio, vitiis, criminibus ansam praebeant.

Quod ad Theatra pertinet non improbaverim populum blando Comoediae, & Tragoediae solatio aliquatenus distineri; utraque enim praecipuum veluti finem intueri solet probis homines, atque excultis moribus imbuere, & ostendere quod vitium poena, atque dolor, virtutem autem felicitas, praemiumque consequitur. Comoedia ope leporum, ac eleganti, urbanoque iocandi genere quo referta esse solet, vitae interim consuetudinem, & privatas, civilesque etiam actiones docet. Tragoedia exprimit virorum illustrium calamitates, ut misericordia, ac terrore animos percellens ab illis avertat cupiditatibus, ac perturbationibus, a quibus teterrimi eventus ducere solent originem. Videndae tamen sunt omnes, atque ab oscoenis salibus, dictisque adversus Religionem, virtutem, decus, bonumque publicum expurgandae.

Idem non minus expediret fieri quoad libros, omniaque alia scripta quae in lucem edenda fuerint; nimis enim influunt

super mores, cum ex malorum librorum lectura plures oriri possint falsae opiniones, a populo semper quoad fieri potest eiiciendae. Homo enim, (si eum demas qui a cupiditatum impetu abreptus in praeceps ruit, & in quo omnis extinctus est virtutis splendor,) secundum opiniones suas operatur; si haec sint errore vitiatae, ac nequaquam virtuti consonae, talia etiam esse debebunt opera eiusdem.

Iuvat proponere non modo poenas, ut a malo homines absterreantur, verum etiam praemia, quorum spe illecti ad virtutis amorem inflammentur (1). Igitur qui a Summo Principe ad regendos mores sunt praepositi debent illi in dies proponere qua ratione praemiis egregii virtute viri, poenisque impii affici valeant (2). Et sane si iustitia, & commune bonum requirunt quod vitium plectatur, quodque scelesti homines puniantur, exigit quoque ipsa aequitas, atque utilitas publica ut aequa lance honor, ac praemium illis tribuatur qui sectati sunt virtutem, quique pro bono publico se praeclare gesserunt. Pulchritudo

(1) *L.* 1. *ff. de Iust. & Iur.* „ Bonos non solum „ metu poenarum, verum etiam praemiorum ex„ hortatione facere cupientes. „

(2) *Vid. Constit. Regn. Sicil. Lib.* 1. *Tit.* 37.

do gloriae, societatis amor, & spiritus Religionis possent, ac deberent quidem sufficére ut homo ad sublimissimas quascumque virtutes extolleretur; tamen multitudo percellitur magis, ac rapitur a terrestri, ac physica utilitate, & absque spe remunerationis pauci, teste *Iuvenali*, tam arduum, ac laboriosum iter scandere volunt. Graecia, atque Italia coronis, simulachris, ovationibus, triumphis, ac donis bonos cives, atque heroes efficiebat (1). Praemiorum distributio extendi debet ad quoscumque personarum gradus, & ordines, ita ut virtutibus praemia respondeant, sintque praemia in ratione composita utilitatis, quam cuiuscumque civium pulchre gestum adfert societati, atque laboris quem in eo gerendo impendere debuit (2).

Quoniam vero homo est maximus imitator, ita ut non deerint Philosophi qui adseruerint illum esse magis filium educationis quam naturae, ita omnis cura adhibenda est ut nihil desit in hac re quod civibus esset expetendum. Itaque ut promptiores, ac efficaciores sint optimae educationis effectus confirmetur, ac roboretur au-

(1) *Vid. Dictionar. Philosophic.*
(2) *Vid. Opus, cui titulus: Opera delle Virtù, e de' Premj del Marchese Giacinto Dragonetti.*

auctoritas parentum erga filios (1), virorum erga uxores, tutorum, aliorumque ius habentium cuiusdam mores dirigendi; ac si innotuerit inveniri adolescentes, aut puellas, quae malam suscipiant educationem, de hoc illi certiores fiant sub quorum custodia ea iuventus esse deberet. Si autem implorent ipsi Regiminis auctoritatem, optentque prospici ut ad virtutis semitam reducantur qui ad vitia proclives a natura constituti sunt, vel iam ab iisdem coinquinati, hoc probato, opportuna adhibeantur remedia, quorum praecipuum est eos a malorum consortio segregare; quam ob rem perutile etiam esset primas coercitiones ita infligi, ut consortium illud secum non ferrent, quemadmodum in carceribus publicis usuvenit. „ Corrumpunt, enim, bonos mores colloquia prava. „ insuper cogendi sunt pueri, atque adolescentes alicui vacare arti, aut exercitio, ut sibi victum comparare valeant, ac ne locus sit perniciosos otii effectus pertimescendi. Abstineat tamen qui eos corrigit a nefariis rebus nimium explanandis, atque aperte prohibendis, ne qui corrigun-

tur

(1) *Cic. de Offic.* 25 „ Plerumque Parentum praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem, moremque deducimur. „

tur sibi adsciscere valeant quod dictum est: „ Non cognovi peccatum nisi per Le- „ gem. „ Exponantur quae praestanda sint Deo, quae parentibus, aliisque maioribus; pulchritudo virtutis, vitii turpitudo, praemia bonis proposita, poenae quae imminent malis; quique pervicaces, aut reluctantes reperientur, ii denique affligantur coercitionibus, quas inter valde probatur addictio militari disciplinae.

Parentes autem monendi sunt ne obcaecati dulci commotione sensuum, & dilectionis erga filios nimium vitia eorum perferant, neve contra aegre ferentes eos vitam degere quae traditis minime praeceptis respondeat umquam illos domo expellant; nil enim esse potest maiori incitamento ad sodalitia cum impiis ineunda, atque criminibus potius, quam labore, & industria vivendo. Neve semper ad normam educationis quam ipsi quoque parentes susceperint illam filiorum conformare nitantur, sed potius eorumdem propensionibus, modo innocuae, atque utiles sint, obsecundent.

Sunt enim nonnulli qui Patria abutuntur Potestate, nimis asperum natis suis iugum imponentes, ex quo fit ut isti mali sint animi, atque abiecti, minorem adqui-

rant

rant alacritatem, sintque minus Patriae utiles. Nec desunt qui nimia rei familiaris servandae, augendaeque cupiditate, aliisque de caussis dura praecipere audent filiis quoad statum, ad artes, atque exercitia, ac demum quoad nuptias, quae saepe numero felicitatis, aut infelicitatis totius vitae initium constituunt. Dum paterna auctoritas in sola imperandi voluptate consistit, aut pater, nil aliud sentiens quam abominandum sui ipsius amorem quem vocant *Egoismum*, triumphos eriget super deiecti filii infortunia, aut merito indignata natura ad perhorrendas rapietur ultiones, & patris filiique audaciam ciens ad pugnam teterrima exhibebit spectacula. Haec omnia ante oculos ponantur parentum, ut ab erroribus huiusmodi, in quos prolapsi fuerint, resipiscant; numquam tamen in filiis foveatur erga patrem spretus, atque arrogantia.

Parentibus qui abundant pecunia non abs re erit suadere ut iubeant filios ad exteras regiones itinerari: ita enim erudiuntur, atque utilium rerum adipiscuntur cognitionem. Est quidem iuventuti utilissimum scientiis animum excolere, atque assuescere ex ipsis quoque oblectamentis utilitatem fructumque percipere.

De

De Coniugum moribus plura essent dicenda. Verum satis sit animadvertere quod detestanda quidem, sed tamen frequentissima esse ubique videtur coniugalis fidei violatio. Verendum igitur ne ex hoc ipso deterior fiat disciplina moralis publicae, neve quis innocens a mali exempli corruptela abripiatur. Audiemus Senecam dicentem: „ Inter caussas malorum nostrorum est quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur (1). „ Solent tamen quandoque uxores vesana efferri zelotypia, aut credulitate, praeter iustitiam iurgia suscitando, non sine virorum angore, atque honestae conditionis foeminarum magno dedecore, quod ferendum non est; quemadmodum compescendae sunt universae obiurgationes, & controversiae quibus familiarum quies perturbatur. Nec est omittendum reciprocum esse ius coniugum quoad fidem, ac tantum viro uxorem subiici in iis quae ad regendam familiam, ac domesticas res administrandas sunt necessaria.

Prosequar de honestate publica nonnulla agere. Huius servandae caussa cohiben-

(1) *Epist.* 124.

bendae sunt foeminae, quae impudentiam, ac turpitudinem prae se ferunt, praesertim vero illae exterarum gentium, quaeque in Theatris suam locant operam publicis choraeis, atque comoediis, ne pravis earum moribus cuiquam ruinam, aut detrimentum inferre audeant. Impediantur nuditates publicae, ut in balneis, ubi etiam conveniens ordo servandus, neque ulla icon, aut pictura permittatur quae inhonesta, atque impia oculis repraesentet. In moribus coercendis nullus detur locus publicae admirationi, ac vociferationibus, quae deteriora quandoque esse possent ipsis etiam malis ad quae removenda coercitiones illae essent institutae.

Molles nimium blandique mores ope urbanitatis in cordibus hominum gliscentes interdum maius adferunt malum quam brutalis ipsa corruptela; nam initio hae illecebrae non vitium, sed communem usum redolere videntur; postquam vero his animus adsueverit iam vitiosus factus est.

Ex Ebrietate oriuntur iurgia, tumultus, plura in familiis detrimenta, otium, aversatio a labore, & ab artium exercitio pro se, & familia alendis. Quare tabernae, & cauponae inservire debent publicae commoditati, interdum quoque modico

po-

populi levamini, non autem habitationi, ac vitiis; & interdicendus vitiosis, rixari solitis, aut quibusdam filiisfamilias ad easdem aditus. Iubeatur claudi horis ad Religionis exercitia, aut ad nocturnam quietem destinatis, & ab illis cuiuscumque speciei ludi eliminentur.

Avaritia est vitium quod numquam utile esse potest societati, plerumque autem illi est funestum, potissimum dum non tantum deleat ex cordibus hominum sensus pietatis erga gemitus indigentiae, sed etiam consistat in coacervanda pecunia, eiusque circulo ad quem introducta fuit detinendo. Adde quod vitium istud secum fert fraudes, dolos, iniustitiam, atque etiam crimina, efficitque ut homo in publicis officiis facile a fide deficiat, cum pecuniae amore honori, atque humanitati renunciaverit.

Si quis contra possessiones a maioribus relictas dissipet, atque disperdat distinguendum an sui vel alieni iuris sit. Si alieni, audiantur parentes, aliique qui ius habent eius mores regendi, modo instent ut cohibeatur, praesertim si videatur esse proclivis ad vitia; si autem sui iuris sit, illi quorum interest dirigi possunt ad Forum Civile ut prodigus alicuius administratio-

tioni subiiciatur, Demum si in hac re nemini ius competat non video cur impediendum sit quemque rebus suis aut pecunia pro libito uti, modo nil agat quod obsit publico bono, exempli caussa, si extraneas res emens cunctas opes in exteras traduceret regiones, aut si magnificentia abuteretur ut sibi pateret aditus ad arbitria impune committenda, tunc enim ratio communis utilitatis favore populi induceret praesumptam huiusmodi iurium renunciationem. Quare nimis admodum civium libertatem coarctaverunt Romani Legibus latis super prodigalitate, quae nonnunquam etiam prodesse potest pecuniae circulo, & industriae, Divitibus impedire emptionem magnae quantitatis esculentorum, aut mercium est idem ac auferre divitias agriculturae, artibus, aut commercio ut iis serventur qui vitam in otio gerunt, modo tamen huiusmodi impensae non transeant in universalem Nobilium, ac Divitum morem, ita ut verendum sit ne eorum exemplo luxus in populo inducatur. Quid damni adfert Civitati quod familia olim locuples decidat in paupertatem? Nonne potius aliquando profuit dignitates, nobilitatem, ac pecuniam non in iisdem diu personis aut familiis mansisse?

Co-

Cohibendi sunt potius qui filiisfamilias, aut prodigis res, aut merces venundant ea conditione ut in diem pretium plerumque iniustum cum gravibus etiam usuris solvatur; saepe enim contractus isti vitio non carent, aut saltem esse solent tamquam lethale venenum, utpote vitiorum, & criminum caussae. Operae pretium erit efficere ut permagna exoriatur in Civitate difficultas huiuscemodi contractus ineundi.

In iis autem rebus quas Leges in cuiusvis arbitrio reliquerunt non debet Politia se immiscere, neque ulli aures praebere qui instent ut aliquid huiusmodi impediatur, ut fieret suadendo alicui ut matrimonia quaedam, contractus, dispositiones, & similia faciat, vel non; dedecet enim studium ostendere coercendi civibus libertatem, atque solamen illa quae lubet in rebus honestis eligendi; immo non raro posset contingere quod quis obsequendi caussa ea gereret ex quibus mala gravissima consequi possent.

Quoad pravas hominum propensiones non modo coercendi sunt qui crimina in se admittunt, sed etiam qui malam praeseferunt fidem, qui utuntur saevitia, aut mendaciis in aliorum detrimentum,

qui

qui otio se mancipant, qui ingratum ostendunt animum, aut iniustum (1). Nonnisi per vitia itur ad crimina, pauca vero sunt crimina quae a vitiis non profluxerint. Itineratores narrant apud Sinenses levia quoque vitia puniri, adeoque pauca esse inter eos crimina. Nimia tamen in prohibendo severitas, qua res ad extrema perducuntur, nocere potest; invenitur enim modus eam eludendi, cum quo plura interdicuntur, eo magis augeantur cupiditates.

Luxus mores corrumpit; efficit enim ut integra Natio assuescat supervacanea respicere tamquam vitae necessitates, quarum novae in dies creantur, ita ut iam nemo abstinere valeat a rebus quarum paullo ante nulla illi erat idea. Hoc malum suum extendit venenum etiam ad infimos plebis, cum omnibus commune sit studium maiores imitandi, ac videatur turpe se pauperem praeseferre, & caeterorum irrisionibus subiicere. Hinc mutua, fraudes, artificia, mala fides, & crimina. Vtilius esset Pauperes, qui luxus ope a Divitibus quodammodo ali dicuntur, ad agrorum culturam potius, quoad fieri posset, quam ad artes luxum foventes studium, ani-

(1) *Val. Max. de Instit. Antiq. Athaeneus Lib.* 6.

animumque convertere (1). Impensarum quantitas, quae hodiernis moribus exigitur plura suspendit, ac supprimit matrimonia, atque ita civium quantitatem imminuit. Romanum Imperium Legibus sumptuariis vigentibus floruit, Calligula vero, Claudio, atque Heliogabalo luxum foventibus funditus eversum est. Optandum esse videtur ut populus quosdam servet fines non solum quoad vestes, atque indumenta, sed etiam quoad epulas, pompas nuptiales, ac funebres, atque alias quae inutiles adferunt impensas; nisi tamen de iis agatur Civitatibus, in quibus artes, & industria languescant, neque eas protegendi alia praeter luxum ratio suppetat. Addam nonnulla Cap. VII. de Artibus Mechanicis.

Vbi admodum cordi esset morum disciplinam integram, inviolatamque servari, praesertim vero in magnis Civitatibus, non abs re videretur illos qui praesunt moribus onus iniungere hominibus ad denuncianda crimina destinatis, vel aliis ea inquirendi super populi vitiis quae apud plures olim celebriores Gentes curam efformabant Censorum (2). Hanc institutionem

(1) *Vid. Aventures de Telemaque Liv. X.*
(2) *Valer. Max. Lib. 2. Cap. 9.*

nem *Bodinus* (1) admodum commendat, atque ait esse sapientem, & Politiae in universis Regiminibus utilissimam. *Inquisitores* Venetae Reipublicae, quae dici potest prudentissimae exemplar Politicae, ad publicam potissimum securitatem, ac tranquillitatem tuendam hoc ipso funguntur munere.

Alia videnda Cap. X. De Officiis quoad vitam civilem.

CAPVT III.

De publica securitate, & tranquillitate.

POstquam de iis verba fecerim quae prodesse valent ad veram hominis felicitatem comparandam spiritum, & cor eius efformando, ad reliqua exponenda gradum faciam, quorum opus est ut tutam, ac tranquillam vitam adsequamur.

Omnia quidem de quibus agendum mihi proposui ad hoc referuntur; tamen seiunctim in hoc Capite pertractandum puto de iis quae potissimum ad hunc finem pertinent: quod cum fieri nequeat quin fusius aliquantulum edisseratur, ideo in quin-

(1) *De Rep. pag.* 640.

quinque membra, seu paragraphos totum Caput distribuam, videlicet I. *De Legum necessitate, & observantia, aliisque principiis*, II. *De auctoritate quae tribui solet Politiae Ministris*, III. *De iudiciis, ac poenis*, IV. *De infortuniis, quae vi elementorum, aliarumque physicarum rerum, vel etiam hominum plerumque fortuito, nonnumquam tamen culpa, aut negligentia in Populi, & Civitatis perniciem contingere solent*. V. *De Negociis expediendis*.

§. I.

De Legum necessitate, & observantia, aliisque principiis.

A sapientissimis quae sequuntur *Ciceronis* dictis exordium sumam: „Mens, „ & animus, & consilium, & sententia Civitatis posita est in Legibus. Vt corpora nostra sine mente, sic Civitas sine „ Lege, suis partibus, & nervis, ac sanguine, & membris uti non potest. Legum Ministri Magistratus, Legum Interpretes Iudices, Legum denique idcirco omnes servi sumus ut liberi esse „ possimus (1). „ Quibus addit: „ Ad ci-

D 2 vium

(1) *Pro Cluent.*

„ vium salutem, Civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam, ac „ beatam conditas esse Leges (1). „ Etenim felicitas, atque tranquillitas hominis, ac gentium in eo consistit, ut minora quam fieri possit illis sint mala. Id adsequendi gratia oportet naturam humanam perscrutari, eius indigentiis prospicere, simul conferre, ac moderari duo illa sympathica in homine principia scilicet *Amorem sui*, quo compellitur ad propria iura servanda, & *Amorem speciei*, vel sibi similium, quo arcte cum aliis colligatur, duciturque ad eos diligendos, illisque opem ferendam, atque prospicere ne quodam veneno cupiditatum in hoc natura humana pervertatur. Haec omnia nonnisi a Legibus valent obtineri. Iis ergo dumtaxat universa regitur Politia, cuius vis, ac necessitas quae sit ex eo concipi potest quod ab illius aut recta, aut prava constitutione, atque administratione magna ex parte consequens est ut populus vera fruatur, aut careat libertate, atque adeo ut amore aut aversione illum, aut illos, a quibus regitur, prosequatur, quemadmodum assidua universarum Gentium docere potest

(1) *De Legib. Lib.* 2.

test experientia. Nam unaquaeque Gens libertatem tamquam maximum respicit bonum. Est enim illi quod salus cuilibet individuo. Vt absque sanitate homo nulla frui potest voluptate, ita sine libertate felicitas ab illo exulat.

Quemadmodum armis in bello, ita pacis tempore Legibus securitas, ac libertas publica constituitur. Nisi illae recte serventur bonum quod ex iis esset percipiendum in teterrimum convertitur malum (1). Ob fatalem, ac duram necessitatem contingit ut physica Legum executio illis ut plurimum committatur qui rem suam potius quam publicam cordi habere, & nonnisi a praemio, aut poena ad agendum moveri solent. Quo pacto poterit Princeps, utcumque Sapiens, ac Philosophus, tute dignoscere an illae quas condidit Leges rationi qua motus est ad illas ferendas adamussim respondeant, & aptae sint ad constituendam populi felicitatem; nisi certo sciat actiones civium illis semper

(1) *Cic. in dicta Orat. pro A. Cluent.* „ Tu mihi „ concedas necesse est multò esse indignius in „ ea Civitate quae Legibus teneatur discedi a „ Legibus. Hoc enim vinculum est huius digni- „ tatis qua fruimur in Republica, hoc fundamen- „ tum libertatis, hic fons aequitatis. „

per consonas esse, atque dubium sit an in eo versemur statu rerum ut iam neque veteres, neque novae Leges serventur?

Itaque nefas sit cuiuscumque generis Ministris tantillum quidem ex litera, aut spiritu Legum absque Summae Potestatis Oraculo aut immutare, aut omittere. Neque ullatenus abripi sinant a studio novitatis, quae est res plena periculi (1), tum permultis de caussis, tum ob eam potissimum quod a nimia iussuum diversitate ad ea spernenda cives impelli solent. Praeterea illi quorum est officium obedire dum imperare potius ultro nituntur verendum est ne privati magis quam publici boni amore ducantur, cupiantque eas Leges obsolescere quae illorum cupiditatibus minime erant consentaneae (2).

Nulla igitur illi qui vel contra, vel praeter Legem dolose operatus est spes offeratur poenam a Lege inflictam effugiendi; secus enim malorum ignis non extinguetur, sed illi pabulum offeretur. Quare

---

(1) *Corn. Gall. Eleg. 2.*
Nonne placet melius certis confidere rebus?
Eventus varios res nova semper habet.

(2) *Lucret. Lib. 5. de Natur. rer. vers. 121.*
Nam gaudere novis rebus debere videtur
Cui veteres obsunt.

re Ministros hortari auserim ut abstineant a persuadendo Principi ut in hac re frequentia Gratiarum inducat exempla; sed potius ut curam omnem adhibeant quod recte iudicia instituantur; quodque poena nonnisi crimen persequatur (1).

Duo obsistunt Legibus potissimum; scilicet *Vis*, & *Arbitrium*.

Tullius apud Romanos non tantum eloquentissimus Orator, verum etiam Philosophus sapientissimus postquam retulerit celebrem illam eorum Legem: „ Vis in
„ populo abesto: „ infra prosequitur: „ Ni-
„ hil est enim tam contrarium Iuri, & Le-
„ gibus, nihil minus civile, & humanum;
„ quam composita, & constituta Republi-
„ ca quidquam agi per vim (2). „

Quoad arbitria vero, quae ipsa quoque vim redolent, ita distinguendum est: In statu naturae licet homini arbitrio suo iniurias reparare, seseque ab illis tueri; at sub Regiminibus id unice competit Summae Potestati (3). Cum enim illa apud homi-

(1) *Can. Sicut* 11. *quaest.* 1. „ Sicut sine indi-
„ cio quemquam nolumus condemnari; ita quae
„ iuste definita sunt nulla patimur excusatione
„ differri. „

(2) *De Legib. Lib.* 3.

(3) *Lampred. Iur. Publ. Univ. Par.* 2. *Cap.* 3. *De Iur. Maiest.*

mines in publicam societatem congregatos onus susceperit prospiciendi illorum securitati, unusquisque intuitu eius se exuit iure puniendi. Ad eam igitur pertinet singulorum civium iniurias ulcisci, eosque tueri, unumquemque puniendo qui illorum laedat securitatem (1). Itaque Attentata ante omnia purganda sunt. Puniendus quisque suo Marte sibi ius facere auserit, licet iusto etiam dolore percitus, debebat enim confugere ad Iudicem, qui ius reddidisset; atque ita iidem dicendum est, & inde plectendus ille pro arbitrio, itemque alter a quo passus est iniuriam pro eo quod contra illum fecerit.

Si autem agatur de Vi, aut Arbitrio in Principem, vel publicam Societatem, vel ipsos Iudices, aut Ministros, nihil utcumque minimum est perferendum; ex scintilla enim maximum saepe excitatur incendium: atque *Lancisius* (2) advertit: „ Luem aeris non ex magna dumtaxat, „ sed etiam vix inchoata alluvione metuendam esse. „ Maximi quoque ac perniciosissimi eventus ex simplicissimis plerumque caussis ducunt originem, quae id-

cir-

(1) *Vattel du Droit des Gens Liv. 1. Chap. 13. §. 169.*

(2) *De advent. Rom. Coel. qualit. Cap. 11. §. 2.*

circo ex oculis spectatorum effugiunt ob tenuitatem, vel ab iisdem veluti ineptiae reiiciuntur.

Itaque non minus in Togata quam in Armata militia vis quaevis illico, & prorsus retundatur. Quare non obdormiat Iudex nec Minister neque super contumacia, neque super audacia eorum qui eiusdem iussis, aut praeceptis minime obediunt; verum pro re nata aut mulctis, aut poenis, aut quomodocumque magis expedire videatur obtemperare eos cogat. Neque omittatur illos quoque compescere qui nimis audacter se gerunt, aut loquuntur quoad Principis Maiestatem, Regimen, Magistratus, Leges, Iura, atque Loca ubi eadem redduntur. Neque tolerandum est quod inferiores Ministri se parum subiiciant Superioribus, quodque illi quorum fidei Mandatorum quorumcumque executio committitur illa exequi, aut renuant, aut omittant, aut differant. Abstineatur quidem a nimia iussuum quantitate, aut rigore, ut diximus, sed postquam iussum est iam manus victas dare nisi gravissimis de caussis neque decere, neque utilitati publicae esse potest consentaneum.

Innumerae esse possunt Leges ad publicum bonum, atque tranquillitatem aut

acqui-

acquirendam, aut servandam idoneae, verum illas singillatim recensere operae pretium non est, cum pro diversitate locorum, aut temporum ipsas quoque diversas esse oporteat. Satis sit igitur tantum pro omnibus adducere celebrem illam Romanam Decemvirorum a *Cicerone* relatam (1) „ Salus populi suprema Lex esto, „ cui addi potest cuiuslibet proprietates, & iura inviolate esse servanda.

§. II.
De Auctoritate quae tribui solet Politiae Ministris.

Ipsa rei natura nos monet huiuscemodi Ministros debere omni illa auctoritate pollere qua opus est ut in societate publica rectus servetur ordo; utque crimina impediantur; alias enim quies, atque tranquillitas obtineri a civibus non posset. Singulari igitur prudentia, atque solertia haec ipsa prae caeteris curare debent.

Videndum est primum ut suum quisque possideat quin ab ullius vi, aut fraude, aut machinatione spolietur (2). Arce- an-

(1) *De Legibus Lib.* 3.
(2) *Lancis. loc. cit.*

antur ab omnibus vexationes, violentae exactiones, & similia. Litigantium animi componantur, itaut finis imponatur controversiis, ne forte praeter necessitatem ad Forum civilem, aut ad Criminalem deducantur (1).

Crimina impedire est aliquid maximum in societate. Vitantur enim damna gravissima, quae in plures eorum quibus constituitur derivarent; fit ut minores numero sint infelices poenis affligendi, aut illis sanguine coniuncti, quorum detrimenmentum nulla Lex umquam poterit omnino tollere, utque amoveatur a Principum cordibus dolor puniendi; pravum a civium mentibus exemplum, ac dedecus quod in illos ab exterarum gentium censura dimanaret.

Numquam violanda est hospitalitas, atque ius gentium (2). Advenis igitur, aut Incolis, cuiuscumque sint Gentis, aut Religionis, summa iustitia, aequitate, ac de-

(1) *Greg. IX. Cap. Iurgantium de Sentent. & Reiudic.* „Iurgantium controversias celeri sententia „ terminare aequitati convenit, & rigori. „ *Vid. infra* Cap. XI.

(2) *Cic. de Offic.* 46. „ Recte a Theophrasto est „ laudata hospitalitas; est enim valde decorum „ patere domos hominum illustrium illustribus „ hospitibus. „

decore ius reddatur; atque uno eodemque tempore prospiciatur ut inter officiorum suorum fines contineantur, ac secundum mores, ac Leges Civitatis vitam instituant. Verum si qui eorum aliquid criminosum patraverint puniantur ut caeteri, eoque magis si, quemadmodum non raro usuvenit, falsitate aut simulatione usi fuerint, commenti nobilitatem, dignitates, divitias; haec enim sicut augerent dolum, ita etiam acriorem exigunt poenam (1). Praeterea illi expellantur qui vel dictis, vel moribus, vel quovis alio modo quem diximus ordinem, atque tranquillitatem perturbare, aut patrare crimina niterentur, quique errabundi, otiosi, ac male morati, aut inopes, omnique syngrapha, aut commeatu exteri Regiminis carentes per arva, oppida, atque Vrbes absque ulla caussa versarentur, praesertim dum magna populi adfluentia Festum aliquod celebratur. Quam ob rem sapienter pluribus locis sancitum est ut Vigiles, atque alii qui praesunt Portis Civitatum sciscitari debeant ab advenis de eorum nomine, patria, & qualitate, quique illos excipiunt de-

(1) *Iuvenal. Satyr.* 8. *vers* 140.
Omne animi vitium tantum conspectius in se
Crimen habet quantum maior qui peccat habetur.

denunciare haec omnia debeant Regimini.

Item removendi sunt a quovis populi concursu etiam inter cives illi in quos furti, aliorumve criminum cadit suspicio; pluraque inspicienda sunt quoad theatra, ludos, aliaque loca ad publicum oblectamentum destinata, itemque quoad choreas, aut festa quae a quibusdam civium celebrari solent, non semper, neque omnibus permittenda. Quoad arcendum a civibus furtorum, atque aliorum criminum periculum, nonnumquam etiam honestatis caussa, plura secundum diversitates locorum constituta sunt, praesertim vero ut quaedam aedium lumina vel claudantur omnino, vel ferreis claustris muniantur.

Ad quosdam Politiae Ministros attinet etiam variorum criminum cognitio, si de levibus causis agatur, ita enim impediuntur graviora scelera, ad quae nonnisi gradatim impii solent pervenire. Igitur eorum Ministrorum provincia esse solent parvae offensiones, atque iniuriae; rerum inventarum praesertim levioris pretii occultationes; fraudes in contractibus; damna culpa magis quam dolo alicui illata; quaeque vel propria, vel impropria furta vocantur, modo minimae, aut parvae rei

sint;

sint; rerum aut pecuniae ablationes inter eos qui una eademque censentur persona, vel non dolose admissae, ut exempli gratia ea de caussa ut quis crediti solutionem nanciscatur; effraena libido; vis attentata potius quam illata; plura contra Legum sanctiones, aut Regiminis formam, & iussa eo modo gesta ut infamiam non irrogent; quaedam Officiorum omissiones, & similia.

His additur vigilantia erga foetus extra matrimonium conceptos, quominus eorum abortus scelere contingat; cui malo obsistendum est aut cautiones exigendo a foeminis illos gestantibus, aut ipsas claudendo donec partum ediderint.

Periculosum est etiam augeri numerum civium, potissimum ex plebis genere, quibus nil sit ex quo semetipsos alere possint, ac tamen nulli vacare velint arti, aut exercitio, verendumque sit ne fiant aliis civibus noxii, quique adeo plerumque militari ordini adscribi solent.

Impedienda sunt prae caeteris crimina quae in Principem, aut Rempublicam praecipites veluti torrentes quandoque irruunt. Ipsa utilitatis publicae ratio exposcit ut his casibus alacri animo, & absque ulla cunctatione fortissima obiiciantur propugnacula, a Mi-

a Militibus quoque manum fortem petendo, atque opposito magno apparatu poenarum, quae extemplo excutiant, atque compescant ferventes, ac coeco furore percitos hominum animos. Mora quaevis, aut lenitas tunc fieret iniustitia, aut incitatio ad iniquitatem. Sunt crimina haec veluti quidam morbi, quibus si confestim medicina adponatur, illico saepe extinguuntur, si vero ea differatur gravissimi, atque interdum lethales fiunt. Facinus ergo esset in rebus ad publicam securitatem spectantibus valide statim non prospicere, ac unumquemque quovis loco, ac tempore non audire. Neque satis esset impetum populi retundere, nisi diuturne atque assidue vigilaretur quominus revivisceret(1).

Nihil autem efficacius ad corrumpendam civium fidem, ac pervertenda quaevis etiam optime constituta Regimina quam factiones, partium studia, & opinionum varietates(2). Itaque adimantur dissidia, atque odia inter plures Civitates, aut

---

(1) *Senec. Troad. Act.* 3.
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit.

(2) De Consensu universi Populi, aut Nationis, & an, & quomodo discrepet ab huiusmodi impetu non est meum disserere.

aut loca, quae sub eadem ditione sint, vel inter varios hominum gradus, ac familias eiusdem loci; moneatur, atque puniatur qui in illis etiam non omnino dolose partem vel minimam habuerit; nullaque ferantur vel dicta, vel scripta, aut libelli, quibus in populo seditio, aut discordia oriri possit. Praeterea donec suspicio aliqua in hoc genere, utcumque levissima, viget, numquam permittatur ullibi civium frequentia, aut quod plures una conveniant, & colloquantur, sed confestim, atque initio concursus illi dissipentur. Si autem iubendum sit in aliquos manus iniici ut in carceres detrudantur, curandum sane ut id fiat opportune quoad locum, tempus, modumque, ne impedimento sit populus aut miseratione ductus erga corripiendum, aut ira in iubentem; atque optandum esset nonnullis casibus ut in hoc adhiberentur potius Milites, quam Lictores; tunc enim minor proclivitas, atque facilitas ad resistendum in populo reperiretur.

Vt alia etiam impediantur crimina, puta furta, atque homicidia, iubendum unumquemque seris, & claustris statis quibusdam horis ostia recludere, neminem arma deferre, aut in aliquem locum plures congregari, ibique simul consistere.

Licet ad publicam securitatem, ac tranquillitatem ius quoque pertineat cognoscendi de criminibus, adeoque videatur Politiae convenire, tamen apud cultiores Gentes tamquam quid diversum censetur, in eo potissimum quod ob rei gravitatem requirat homines qui illi unice vacent. Non tamen videtur supervacaneum, ubi permittatur a Legibus, quod extemplo etiam iussu Ministrorum Politiae aliquis interim detineatur, vel in tuto ponatur res aliqua, ex cuius existentia, atque inspectione crimen constituatur; qua de re quaedam veluti primordia Iudiciorum de criminibus nonnullis in locis huiuscemodi Ministrorum vigilantiae committi solent, modo Actus illi ad Forum cui criminum competit cognitio statim transmittantur. Vicissim si cuiusdam causa dicta de aliquo crimine putetur locum non esse poenae a Lege indictae, sed verendum sit ne ille fiat societati publicae noxius, Causa ad prudentem Regiminis Oeconomiam, adeoque ad Politiam remittitur; quae fere omnia praesertim in Gallia florente iam Regno in usu fuisse comperimus.

§. III.
De Iudiciis, ac Poenis.

Publicorum Iudiciorum forma, atque asperitas, si agatur de levibus criminibus, aut de iis quorum publicatio in malum evaderet exemplum, aut in detrimentum existimationis eorum quos magni fieri a populo publico bono interest, aliquando noxia esse potest.

Nunquam tamen omittenda est ipsa rerum substantia, idest criminis probatio, ne forte plectatur ille qui nullum in se scelus admiserit, aut ille de quo in dubium revocetur an admiserit nec ne, qui est quidem absolvendus. Perpendatur cuiusmodi sint tam privati, quam publici Accusatores, & qua de caussa ad accusandum moveri possint, ut etiam infra Cap. XII, nam „ adversus malitias malignantium ni„ hil est tutum. „ Numquam admittatur coniecturarum abusus, numquam a sola in eodem genere mala qualitate patratum revera fuisse crimen Iudex opinetur. Nulla denique proferatur sententia, neque poena infligatur, nisi prius illi cui iudicium constitutum est patefiant omnia quae illi vertuntur crimini, audiatur quidnam respondeat, illique se defendendi facultas, & otium

tium tribuatur. Hoc enim pacto nemo aliquid iustitiae minime consentaneum patietur, nihilque cives a vexationibus, atque calumniis se mali laturos pertimescent.

Dum autem aliquis interrogatur de crimine numquam incipiendum est ab obiurgatione, aut asperitate loquendi (1), modo ille debito iudicem, aut Ministrum prosequatur obsequio, sed crimen illi obiiciendum sermone quo mansuetudo simul ac decus servetur (2); alias si ille innocens fuerit iniusto afficietur dolore, atque in corde suo saltem hoc vertet iniustitiae, imprudentiae, atque animo ad alteram partem audiendam non satis parato. Pendente quidem iudicio neque modus reum interrogandi, neque carcer poenae partes esse debent, ac solum quandoque asperius loquendum dum poena ipsa in sola obiurga-

(1) *Ecclesiastic. Cap.* 11. *n* 2.

(2) Dux *Iosue*, postquam Reum detexisset qui magnum populo Israel malum intulerat, ita eum allocutus est: „ Fili mi, da gloriam Deo. & con„ fitere, atque indica mihi quid feceris? „ quod *Cartusian. Cap.* 7. ita interpretatur: „ Sanctus Io„ sue, vir discretus, ac mansuetus, non turbu„ lenter, sed pie, ac mite primo alloquitur eum, „ ne ex dura allocutione perterritus, aut exacer„ batus non acquiescat veram dare responsio„ nem. „

tione debet consistere, ut infra erit animadvertendi locus.

Si quis carceribus fuerit mancipatus visendi carceres a Politiae Ministris, ne fiant potius specus ferarum quam reorum custodia, ac ne illata poena ullatenus asperior fiat (1).

In poenis autem infligendis habeatur ratio levitatis rei, aut criminis de quo agitur, aetatis senilis, aut puerilis, imbecillitatis mentis, ebrietatis, doloris, ac primorum animi motuum, aut contra praemeditationis, varietatum quae respiciunt facta, personas, earumque status, gradus, conditiones, sexus, nonnumquam etiam quoad foeminas si foetum utero gestent; item si prima vice, aut alias quis deliquerit, nam „ geminans delictum sperare non „ debet veniam (2). Poena qua reus affligitur, simulque maior populo adfertur utilitas est rationi maxime, ac naturae consentanea.

Poenarum severitas numquam esse de-

(1) De Carceribus visendis, quod olim commissum erat Episcopis, vid. *Append. ad Cod. Theodos. Cap.* 13. *Auth. Neminem volumus C. de Episcop. audient. Sirmond Oper. Tom.* 1., *&* *Scannarol. de Visitat. Carcerator.*

(2) *L. ubi falsi prope finem, ad L. Corn. de Fals.*

debet Iudici motrix caussa ad eas decernendas, quaecumque fuerit Regiminis forma, qua de re memoriae mandanda esse puto illa Philosophi *Senecae* verba: „ Corrigendus est itaque qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & aspere, meliorque tam sibi quam aliis faciendus, non sine castigatione, sed sine ira, quis enim cui medetur irascitur(1)? „ Nimia tamen poenarum laxatio, eo perducta ut crimen quoddam absque poena maneret, in discrimen adduceret iura civium, qui honestatem, pacem, ac Leges ipsas cordi habent; atque ideo periculosam, & intolerabilem efficeret societatem civilem. Qua motus ratione celebris *Cameracensis Episcopus* ita effatus est: „ C'est une clemence que de faire d'abord des exemples qui arrètent le cours de l'iniquité(2). „ Licet spiritus humanitatis aegre ferat mortalem utcumque malum angi dolore poenarum, ferendum est tamen in eo crimen puniri, hoc exigente integrae societatis utilitate. Prudens Medicus exhibet amaros succus aegroto, ut illum ad valetudinem revocet, at-

(1) *De Ira Cap.* 4.
(2) *Avventures de Telemaque Lib. VI. pag.* 221. *Edit. Leyd.* 1773.

atque nunc lenibus nunc violentis utitur remediis, interdum etiam veneficis, aut ingentem inferentibus dolorem, quae auget, minuit, variatque, habita ratione ad morbi vim, quantitatem, & qualitatem.

In causis admodum levibus modicae sufficiunt coercitiones, ita illatae ut nihil publice, nihil cum alieno dedecore agatur; unum enim tantum requiritur, scilicet quod homo suum noscat errorem, eoque cognito resipiscat, & deinde prudentius se gerat (1). Itaque diversimode reprimatur ille quem unum quoque elate prolatum verbum perterret, atque in magnum moerorem prosternit aut ob animi parvitatem, aut ob amorem bonae famae apud concives, & patriam, ab eo qui nonnisi a dolore corporis valeat commoveri. Sunt enim quidam adeo pervicaces, rudes, atque agrestes, ut asperrima quaevis reprehensio ne minimum quidem animos eorum pertingat.

De Aequitate nonnulla dicam Cap. XI. de Causis Civilibus.

Duo insuper advertenda sunt. I. Etsi In-

(1) *Marcian. L.* 11. *ff. de Poen.* „ In levioribus „ causis proniores ad lenitatem Iudices esse debere, „ in gravioribus poenis severitatem Legum cum „ aliquo temperamento benignitatis subsequi. „

Iudex aliquem bonum ius fovere dignoscat, alium vero malum, non debet dum utrique adsunt nimis illi verbis favere; ne in hunc magis quam oporteat animo efferatur. II. In decernendo iustum se aeque omnibus ostendere opus est, ne iisdem de causis alios plectere; alios vero nec appellare quidem voluisse videatur: „ Legum „ ope (docente Cicerone;) totum Cor- „ pus Reipublicae curet; ne dum partem „ aliquam tuetur reliquas deserat, cum „ qui parti civium consulunt, partem ne- „ gligunt rem perniciosissimam in Civi- „ tatem inducant, atque discordiam: „

§. IV.

De infortuniis, quae vi elementorum, aliarumque physicarum rerum, vel etiam hominum, plerumque fortuito; nonnunquam tamen culpa, aut negligentia in populi; & Civitatis perniciem contingere solent:

Calamitatum quae in Civitatibus praesertim, aliisque locis ubi extant domus, atque aedes non raro excitantur teterrima Incendium est. Igitur maxima celeritate huic malo obcurrendum cum Architectis, Fabris Lignariis, ac Coementariis, aliis-

que

quae ad id vel constitutis, vel saltem idoneis; nec desint, si fieri potest, cohortes Militum, atque Lictores. Curandum autem ut illi tantum operentur qui necessaria pollent experientia, ut amoveatur perturbatio oriri solita a nimia eorum quantitate qui praeter necessitatem plerumque adcurrunt, partem ipsorum retinendo si opus sit, partem vero eiiciendo; ut adferantur statim, ac opportune adhibeantur instrumenta ad ignem extinguendum necessaria, (quae semper ita servanda erunt ab illis qui huic curae addicti fuerint, ut parata sint ad huiusmodi usum;) videndum ut qui operantur sedulam adhibeant operam ut revera ignis extinguatur, non autem agant specie tenus, aut ignave, aut inani ardore aliis imperandi; ut absque necessitate nemo quidquam demoliatur, vel supellectilem, aliaque invecta, & illata ex aedibus in viam proiiciat, abripiat, furetur, vel arbitria sibi putet licere. Requirendum est quodnam initium, quae caussa fuerit incendii, ut constet an dolo, vel casu fuerit suscitatum, & quae sit conditio eius cuius detrimento contigerit, scilicet an dives an pauper sit. Prospiciendum ut adsint Chirurgiae auxilia erga illos qui missione sanguinis, aut fracturarum quae for-

te

te contigerint cura indiguerint. Diu custodiatur locus ubi ignis exarserit; colligantur Instrumenta, & ad suum reducantur locum; ac demum cordi sit ut recte illa distribuantur praemia quae Princeps, aut Respublica illis tribuere vellet qui ad opem ferendam advenerint, utque inopi qui fortuito incendium passus est aliquatenus subveniatur.

Haec, & alia infortunia, atque etiam terrores vitandi caussa prohiberi solet in viis, ac plateis publicis ignivoma arma explodi, atque ignes accendi tam naturales, quam qui artificio conficiuntur.

Dum aquis Vrbes, aliaque loca obruuntur non modo earum viribus obsistendum, sed subveniendum incolis in vitae, ac rerum discrimen adductis; itemque illis qui in flumen, puteum, aut alium in locum ubi periculum esset ne suffocarentur prolapsi fuerint.

Iubeatur a viis praesertim ac plateis publicis nives, & gelu amoveri, ne impediatur iter, aut lubricum, ac periculosum reddatur. Non permittantur inibi ludi pilarum, ligneorum globorum, trochorum, atque huiusmodi, quae nocere possint transeuntibus, neque ullius materiae proiectio ex aedium luminibus, neque maceries,

ries, coementa, & similia, neque tabulae, atque alia fulcra super quibus venalia prostent, quae viarum usum impediant; neque constructiones aedium absque signis, quae viatoribus indicent ut caveant ab iis quae decidere poterint; atque ipsa aedificia, pontes, ac ripas iubeatur ita servari, ut nullum sit ruinae periculum, itemque videndum ne quid pensile e domibus in aliorum discrimen superimmineat: Curandum est etiam ut tabulata quae promineant ad videnda spectacula ita construantur ut locus non fiat pertimescendi ne sint collapsura. Maxima adhibenda est cura ut minus exitiales sint quam fieri possit Terraemotuum effectus. Quaedam inspicienda sunt quoad rhedas, aliosque currus, equos ad vehendum advenas, ipsasque evectiones, cymbas, ac naviculas, denique quoad Tabellarios.

Oportet insuper ut comprehendantur, atque claudantur qui mania ita laborant ut sibi, ac aliis perniciem inferre possint; & ut consulatur vitae tum infantium, tum puerorum, qui ita derelicti fuerint, ut nemo sit qui illos alat; quae omnia secundum varias locorum Leges, atque consuetudines facienda sunt.

§. V.

§. V.
De Negociis expediendis.

Antequam Principi, vel Superioribus Politiae Ministris ratio reddatur de aliquo Negocio maxima cum diligentia perquirendum est quodcumque innotescere possit, nec omittatur eos omnes audire qui de illa re aliquid noverint, ac potissimum illos qui preces porrexerint, & alios ex quibus erui valeat quaenam caussa ad eas porrigendas impulerit. Item Ministri summopere curent ut unica veritas Principi exponatur; utque nemo audeat eum fallere; quod gravissimum facinus esse censeo. Aliquando etiam opportunum erit de nonnullis rebus percontari quosdam ex aliis Ministris in quos aliqua Politiae pars fuerit diffusa.

Proponatur expediri Negocia ad normam Legum, & Consuetudinum; atque exponantur quaecumque alias in similibus casibus iussa, ac decreta sunt, praesertim cum aliquis iterum Preces porrexerit post alias super quas iam Princeps quid sibi placuerit ostenderit.

Nihil omittatur quod Supremam Voluntatem ad recte iubendum, ac decernendum impellere valeat, servato ordine, perspi-

spicuitate, ac decore, itemque brevitate, atque abstinendo a nimia dicendi vi, ac doctrina, ne Minister, vel Principem, aliosve sibi Maiores docere, vel patrocinatoris, aut accusatoris partes adsumere videatur.

Nulla ab eo pro certo adseratur Propositio quam non sit probare paratus, eo magis si agatur de poena, aut dolore alicui inferendo.

Neque ultra fines Officii, ac necessitatis ante oculos Principis exhibeantur ultroneae narrationes, aut Propositiones, quae possint illius animum perturbare, neque nimia facilitate nova proponantur, ex quibus incertum sit an boni, vel mali aliquid oriri possit.

Cordi sint potissimum quaecumque decent Iudicem, ac Ministrum probitate, iustitia, prudentia, ac alacritate praeditum, cuiusmodi in Capite ultimo a me proponetur.

CA-

CAPVT IV.

De Sanitate.

POstquam egerimus de incolumitate Corporis Politici, nunc de physicorum Corporum Sanitate disserendum est.

Recta valetudo est *naturalis harmonia, atque conveniens dispositio partium corporum viventium, itaut facultatum pro operationibus quibuscumque propriis cuiusvis individui exercitium, aut integritas servetur* (1).

Inter ea quae ad bonam, vel malam constituendam valetudinem partem maximam habere solent Politia habet ob oculos potissimum I. *Mores*. II. *Epulas, ac potus salubres, aut non*. III. *Malos halitus*. IV. *Morbos*. V. *Medicos, ac Medicinas* (2).

In naturalem hominum constitutionem valde influit Moralis disciplinae observantia, aut relaxatio, de quibus plura dicta

(1) *Cicer Tusculan.* 215. „ Corporis temperatio „ cum ea congruunt inter se e quibus constamus „ sanitas est. „

(2) De his omnibus plura disserit *Ioseph Iacob. Plenk* in suis *Elementis Medicinae, & Chirurgiae Forensis*.

dicta sunt Cap. II. Etenim integritas morum, ac temperantia in cuiuscumque generis voluptatibus, animi tranquillitas, atque corporis exercitium admodum prosunt valetudini. Chorea, ludus pilarum, palestrae, equitatio, venatio, ac similia, modo opportune non autem vitiose adhibeantur, robur, ac dexteritatem augent. Ob eam caussam Spartani, Macedones, Romani, atque Athenienses viderunt cives vi corporum admodum validos. Contra vero vitiorum lues corpus enervat, atque dissolvit, itaut voluptates immodicae plures auferant vitae dies, quam remedia servare valeant. Intemperantia, atque ebrietas in lethale virus convertunt alimenta, & potiones ad vitam servandam destinatas. Haec, & nocturnae vigiliae, ac dissipationes, & luxus, itemque alia quae humanae naturae adversantur ita obsunt valetudini, ut cives segnes, atque hebetes, & quoad patriam mortuos efficiant. Effraenum enim vitae genus corpus debile facit, mentemque perturbat, ita ut neque liberalibus, neque mechanicis artibus homines apti sint, ipsaque etiam sobolis propagatio difficilior fiat (1).

Ita-

(1) *Tissot, Avvertimenti al Popolo per conservare la sua salute.*

Itaque a Politiae Ministris vigilandum est etiam ne inolescat in Civitate vivendi genus ex quo tot mala ducere possint originem. Tamen quae affectura sunt hominum constitutionem modice admodum, & caute proponantur, quominus periculum sit ne destruatur dum mens est aedificare. Corpora enim per plures praesertim de patre in filium generationes mollibus vitae institutis corrupta iam nemo posset extemplo ad libitum modificari.

Quidam herbis, & fructibus vescuntur, quidam carnibus, aliisque cuiuscumque generis alimentis; sitim alii aqua, alii vero variis extinguunt potionibus. Itataque in hoc quoque populis prospiciendum secundum illorum consuetudines ut recte valeant. Montium, atque arvorum incolae non iisdem utuntur esca, atque potu quibus habitatores Civitatum.

Quoad qualitatem autem rerum quibus homines aluntur plures pro varietate locorum esse solent Leges prohibentes vendi triticum, aliasque segetes, fruges, vinum, fructus, carnes, ac pisces, aliaque esculenta, & poculenta, quae vetustate corrupta sint, atque foetida; itemque carnes animantium morborum vi interemptorum, vel quae illis laboraverint, ut quando-

doque Sues esse solent, quae omnia vel in statutum aliquem locum proiici, vel comburi solent, vel in diversos usus converti, qui humano generi nullo esse possint detrimento. Impeditur etiam vaccinae carnis pro vitulina fraudulenta, & nonnullis casibus fortasse noxia venditio. Additur cura ne puteorum aquae corrumpantur, neque corruptae bibantur, ac insuper ut publici fontes custodiantur, atque serventur.

Venena in commercio esse non debent nisi intra limites necessitatis, & pro iis tantum personis, quae verendum non sit ne illis ullatenus abutantur.

Aeris salubritatem maximi esse momenti ad servandam hominum vitam, atque incolumitatem quisque Philosophus noverit. Vt autem saluber sit aer quaecumque halant ex putri sunt removenda. Prompta igitur cadaverum remotio a Civitatibus non modo quid tristis, atque funesti adimit ex oculis civium, verum etiam athmosphoeram purgat a magna corruptionis caussa. Igitur necessaria festinatione huic rei prospiciendum, praesertim cum de corporibus agatur qui celeriter dissolvantur. Vbi sepulchra adsunt probe sunt claudenda, cavemdumque ne humida

sint,

sint, ne quid ex illis efflare possit; magna adhibeatur diligentia quoad loca, ac modum custodiendi cadavera donec sub humum, aut in sepulchris condantur, atque in extrahendis, alioque exportandis eorum ossibus. Necessarium etiam est, praeter humana cadavera, removere, atque humo tegere caeterorum animantium corpora, quae per vias, aut quocumque alio iacerent loco.

Cloacae, & quaevis receptacula quo sordes confluunt purganda sunt statutis modis, atque temporibus, ne obsint saluti publicae, aut privatorum. Ex lacunis coenum, ex viis, ac plateis quaecumque exstiterint putrefacta, vel quae putrescere possint tollenda sunt, earumque rerum proiectio ex aedibus impedienda.

Prope domos neque liceat fimum congerere, neque animalium stabula habere, neque lanienas, neque officinas ubi ex bombycum folliculis sericum trahitur, neque quidquam servare ut maceretur; caveatur tamen ne quis nimium in artis suae exercitio impediatur, super quibus Medicinae Periti sunt consulendi. Artifices penes quos, confectis illorum operibus, quid putridum remanet nullius usus, atque adeo proiiciendum, ex. caussa, bombyces mor-

 tui,

tui, cogendi sunt ut longe a Civitate id abiiciant. Demum ita efficiatur ut ubi habitant homines nulla sit communicatio cum locis, ac rebus quae aerem possint inficere.

Custodiantur Templa, Theatra, Nosocomia, aliaeque aedes publicae, itemque quoad fieri potest privatae a malis halitibus, calore aestivo, frigore hyemali, efficiaturque ne sint madidae, aut quibusdam aliis de caussis non salubres; quam ob rem nonnullis in locis extant Leges super construendis aedificiis.

De morbis insuper acturus Pestilentiam omittam, cum de ea tot extent Volumina (1), atque apud cultiores gentes vigeant optimae Leges, ac Provisiones ut teterrimum istud arceatur exitium, quod nulli hominum parcit conditioni, efficitque ut quisque praesertim eorum qui praesunt populo acuat ingenium, omnesque vires impendat ut tantum malum eliminet, cuius vi salus universae rei publicae in maximum discrimen adducitur.

Collato studio cum iis qui Artem Medicam profitentur nulla omittatur diligentia

(1) Vidend. prae caeteris *Trichmeyer. Instit. Medicinae Legal.*, *vel Fer. Cap. XIX.*

tia ad removendos morbos tum hominum tum pecudum qui solito crebriores, ac lethales fierent; quin tamen inanis terror excitetur in populo, aut anilibus nugis, futilibusque vulgi narrationibus fides adhibeatur.

Maximam etiam ad se curam avocat Hydrophobia. Canes igitur, Feles, aliaque animantia morbo isto correpta, atque etiam illa de quibus hoc dubium esse possit aut statim necanda sunt, aut facienda experimenta, quibus dignosci possit an revera illa sint Hydrophoba, nec ne, ac iubendum ut nil in hac re omittatur quod a Medica arte propositum fuerit. Canum praesertim numerum imminui non inutile existimatur, si agatur de illis qui nullius sint usus, sed oblectamento tantum inserviant, aut nullius sint, & per vias, & agros vagentur(1).

Ad Tabem quod attinet ubi Leges deficiunt in singulis casibus Medicorum supplent praecepta, cum iam apud illos plerumque invaluerit opinio morbum hu-

 ius-

(1) Opinio est Morbum istum vel omnino, vel plerumque a Lupis in Canes. atque ab his in Feles, aliaque animantia morsu propagari. Quoad Lupos variis in locis illos interficientes praemiis afficiuntur, etiam ob curam Pecudum, & Agrorum.

iusmodi non esse aliis noxium absolute, sed tantum quoad illos qui ex eodem sanguine profluxerunt, vel qui habitum corporis a natura susceperunt ex quo ad hoc infortunium perduci possent; cumque omnes in eo conveniant quod putridi corporum halitus cuiuscumque sint generis nocere possint.

Optandum maxime esset ut a civili societate penitus eradicaretur fons ille malorum qui cum vitio animi corporis insuper vitium de alio in alium transmittit, quique mortalium vires, & quicquid in iis est bonae valetudinis absorbet, atque pessundat, humanae propagandae speciei maxime obest, fatalemque inducit necessitatem violenta adhibendi remedia adeo infensa fibris, ac nervis, ut exitialia nonnumquam ex illis fortassis oriantur damna. At quonam pacto tanto malo obsistendum? Saltem ut minus saeviat, & propagetur omnes simul conferant vires Politiae Ministri quae iis porriguntur a Legibus vel super moribus vel super sanitate vigentibus, exempli caussa, quoad mulieres quaestum corpore facientes, ut adeo infenso hosti acerrimum inferant bellum.

Alias cautiones adhibendas ne caeteris noceant plures aliae infirmitates, puta

fe-

febres quaedam, pustulae; scabies, porrigo, aliaque huiusmodi Medicis, atque illis qui publicae, aut privatae aegrorum curae addicti sunt relinquendas existimo.

Plures etiam cautiones proponi solent ut recreentur si fieri potest qui *Asphycti* dicuntur, hoc est qui aquis demersi, vel ob Mephytim, aut frigus, aut aliam caussam in eum statum pervenerint ut videantur mortui (1).

Vt autem nonnihil de ipsa Arte Medica agamus, quam sane immerito veteres Romani tam parvi fecerunt ut mancipiis, atque infimi generis hominibus exercendam reliquerint, ac nonnulli etiam recentiores Philosophi pro nihilo, ac veluti supervacaneum putaverint, non modo nullatenus spernendam, verum etiam necessariam esse arbitror (2). Etenim humani corporis harmoniam, quaeque ad illam restituendam, servandam, aut contra pervertendam apta sint quisnam rectius tutiusque noverit quam qui assiduo, ac diutino labo-

(1) De his agit potissimum laudatus *Plenk*, cui addi potest Italicus Libellus, qui inscribitur: *Metodo Pratico di prevenire, e di curare le Morti apparenti. In Firenze* 1783. *nella Stamperia di Lorenzo Vanni*.

(2) *Ecclesiastic. Cap.* 38.

bore minimarum etiam partium cognitionem adsequutus fuerit ope studiorum Anathomiae, ipsiusque humanae naturae, diuque versatus inter tot, ac tam varia morborum genera ex iis quae saepissime contigisse iam pulchre callet quaenam etiam futura sint verisimiliter admodum coniicere poterit? Qui Naturalis historiae, & Chimicae artis principia edoctus, observatione, atque experientia ducibus rerum omnium quae super tellure existunt qualitates apprime noverit, qui demum plura quae de his rebus doctissimi scripserunt Viri sedulo perlegerit (1)?

Illorum tantum vitio vertam imprudentiam qui magis quam par est Medicinae confidunt, quae tamquam Physicae pars eidem fato subiicitur cui in toto orbe terrarum ista quoque scientia nullo non tempore subiicietur.

Felix qui potuit rerum cognoscere caussas.

Itemque animi parvitatem despiciam eorum qui vel a nervis, vel a quacumque alia

(1) Penes Graecos initio munus erat Sacerdotum aegrotis mederi. Poetae etiam apud Latinos Medicinae originem Apollini tribuerunt. *Ovid.* enim *Metamorph. Lib.* Numen illud Daphnidi ita loquens inducit:

Inventum Medicina meum est, Opiferque per Orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

alia caussa ne tantillum quidem molestia affici aequo animo perferre valent nisi Medicum accersiverint, eum consulentes quotidie; atque compellentes ut paret illis medicamenta quorum usu immodico humores pervertuntur, ac stomachus; veraque corporis valetudo destruitur, cum fieri quandoque possit ut spiritus humanitatis propriam in Medico non anteveniat utilitatem, ac difficile etiam sit ut sua illum non fallat opinio, modo fidem adhibeat narrationibus morbi; qui nonnisi in mente illius a quo tam saepe consulitur umquam extiterit.

Itaque laude dignabor populos qui Medicos, atque Chirurgos ut illis operam praestent pretio conducunt; qui eorum quosdam curandis pauperibus addicunt; qui Medicinae; & Chirurgiae exercitium, ac Medicamentorum confectionem nonnisi illis qui idonei reperti fuerint permittunt, qui Empiricos omnes, ac Circulatores eliminant civibus ignorantia, vel audacia non raro perniciem; ac necem inferentes, atque Obstetricibus vetant in complicatis casibus quicquam operari nisi a Chirurgo dirigantur, cum illae non raro carere soleant quibusdam notionibus, vel sedula animadversione, cuius ope illis prudenter

utan-

utantur, nec desint quae falsis abundare soleant opinionibus. Artem etiam quae dicitur Veterinaria nullatenus despiciendam existimo.

Remedia denique quibus sublevantur mortalium aegritudines permagni facienda sunt. Inter ea quae ab ipsa natura nobis exhibentur sunt Aquae salubres, quarum aliae bibendo utiles, aliae vero Thermarum usui accommodatae. Vtraeque ut commode adhiberi valeant publico etiam sumptu magnopere curandum est. Reliqua nobis a Pharmocopolis parantur, in quo summa ab iis fides, ac diligentia requiritur. Quare pluribus in locis vigent Leges, aut consuetudines, quibus scientiarum, atque artium huiusmodi constituitur Collegium, quo de iis quae recte aut prave in hac re gesta fuerint non specie tenus, sed reipsa cognoscatur.

Quae de Sanitate disserui magna ex parte Pauperibus utilitati esse poterunt. Verum praeter sanitatem illis paranda sunt alimenta, ne prorsus deficiant. De hoc igitur in eo quod sequitur Capite verba faciam.

CA-

CAPUT V.

De Pauperibus.

PAupertas communi significatione accipitur pro *statu indigentiae, qui alienam exigit opem, eo quod vel ob aetatem, vel ob aegritudines, vel ob imbecillitates corporis aliquis operibus sibi escam nequeat comparare*(1).

Commendavit Moyses Pauperum huiusmodi curam, iussit ut convocarentur ad Epulas Religionis, quae fiebant in Templis, ut consulto quidquam relinqueretur in agris, in vineis, ac super arboribus, quod illi excerpere, atque in suam convertere possent utilitatem(2). Aliqua etiam reservari voluit statis temporibus pro illis, atque pro viduis, & orphanis.

Opor-

(1) Ideam realis personae Ethnici adsciverunt Paupertati, eamque in Deorum numerum recensuerunt, & Gadarae incolae in Graecia peculiari illam cultu prosequuti sunt, cum respexerint tamquam Industriae, omniumque Artium matrem. *Vid. Aristoph. in Plat.* Philosophus *Plato* illi tamquam filium tribuit amorem. *Plautus* comminiscitur eam esse filiam impudicitiae, nam qui huic vitio se mancipat persaepe in Paupertatem prolabitur.

(2) *Levit. XIX. 9. &* 16.

Oportet quidem a Regimine, atque illius Ministris aeque ac a singulis civibus Pauperes diligi, tum quia hoc veluti maximum censetur inter Officia quae a Philosophica; atque ab Evangelica potissimum morum doctrina exiguntur, tum etiam quia in nostram redire utilitatem non modo Fides Catholica, verum ipsa quoque naturalis ratio nos docet. Illos enim amabunt, ac tuebuntur Pauperes tamquam Patres qui Pauperes ipsos veluti filios exceperunt; atque in calamitatibus, quibus nimium obnoxia est humana natura; omnibus impensis viribus curabunt ut illis auxilio sint. Praeter quam quod suavi afficit voluptate corda hominum qui vim sentiunt virtutis, atque humanitatis nosse se a caeteris diligi, ac videre individuis eiusdem naturae profuisse, quemadmodum vir honestus perhorrescet dum sentiet se dolorem, perniciem, exitium cuidam intulisse, ac dum merito se odio haberi compererit.

Animadvertunt Politici magna subsidia non raro in caussa esse ut qui illa obtinuerint desidiae, ac inertiae se dedant, proindeque a recta etiam virtutis semita aberrent. Hoc sane illorum vitio vertendum qui tam prave aliena miseratione abutun-

tun-

tuntur, sed ab iis qui intuitu pietatis inopiae subvenerunt recte factum existimo (1). Politiae autem Ministri, cum non frugi tantum, sed prudentes quoque esse debeant, nonnihil in hoc moderaminis debent adhibere in publicis erogandis subsidiis, aliisque rebus, quae ad alendos Pauperes pertinent, itaut necessitatibus, atque utilitati illorum simul atque universae Civitatis prospiciant. Subveniant illico aut esca, aut pecunia Pauperibus qui in eum indigentiae statum adducti sint ut differre auxilium idem sit ac illos necare. Aliis vero opem ferant curando ut iisdem non arduum sit se ad arva colenda transferre, utque non desint Mechanicae artes, in quibus exerceri valeant; labore, & industria alimenta sibi, & familiae comparantes. Quare modus proponendus erit quo operum quantitas, ac merces Pauperum quantitati, ac necessitatibus etiam respondere possit. Neque omittatur cum caeteris etiam Ministris, itemque cum Negotiatoribus ea omnia condicere quae ad optimum hunc finem adsequendum esse valeant opportuna.

Inter Pauperes autem maxima digni sunt

(1) *D. Paul. Epist. 2. ad Corinth.*

sunt commiseratione Verecundi. Illi enim persaepe, licet inedia prope deficiant, tamen stipem quaerere vel non audent, vel non satis valent.

Subsidia vero, non modo quae Puellis ut facilius nubant concedi solent, verum alia quoque universa veris erogentur Pauperibus, servata quadam ratione ut facilius illis fruantur qui revera magis egestate premuntur; quod licet aliquis aequa lance fecerit, benigne tamen Pauperibus ignoscat si eos iniuste de more conqueri audiet.

Neque impediendum puto quod a Divitibus, aliisque pie subveniatur illis qui dicuntur *Pauperes spiritu*, idest qui honores, ac opes terrae abs se abiecerunt ut Coelestia sibi pararent bona, in aliquam convenientes Societatem, quae nihil possideat, atque alimenta mendicet (1).

Maxime Bono publico interest, (agitur enim de Civium incolumitate, ac vita,) ut in quavis Civitate, atque etiam quandoque in Oppidis, sint Nosocomia, in quibus Aegroti excipiantur, ac suppetant qui illis probe inserviant, quin aliquid in iis

(1) *Matth. v. 5. 3. Clem. Alexand. Strom. Lib. IV. pag.* 484.

iis locis contingat quod Religioni, honestati, recto ordini, sanitati, ac humanitati adversetur; nec pro pauperibus Medici, Chirurgi, Obstetrices desint.

Brephotrophia insuper exiguntur, ubi Spurii, itemque Pauperum infantes alantur, utilemque Patriae educationem suscipiant; ac loca ubi Pauperes ipsi excipiantur si nulla curatione pristinam obtinere possint valetudinem, si nulla iis sit domus, aut nocturnum receptaculum, vel sint senio confecti, aut adeo foedi ac deformes ut nimius in Populo horror ex eorum adspectu excitari possit.

At ne quid veris auferatur Pauperibus impediendum est victum quaeritare iis qui apti sunt ad aliquod opus faciendum ex quo mercedem valeant percipere quae iis ad vivendum sufficiat.

Nec tolerandum est id fieri in Templis, hoc enim homines distrahit a rerum Divinarum contemplatione, neque noctu, nam perturbat eorum animos qui per vias transeunt, obest publicae securitati, atque etiam non raro honestis moribus, si agatur de foeminis forma, aut iuventute florentibus, aut de iis quibus illae obviae fiunt.

Arcendi sunt Pauperes aliarum Nationum, atque ab aliquo loco illi qui alibi

ortum, aut domicilium sortiti sunt, & ad Patriam remittendi.

Demum plectendi illi qui insolenter aliquid fecerint, vel dixerint stipem petendo praesertim illis qui eam largiri renuerint.

Omnia tamen ita caute, ac leniter facienda sunt ut numquam in Populo invalescat opinio Leges quibus Civitas regitur Divitibus potius, & personis ex Nobili Genere natis quam egenis, ac Plebi favere.

Denique danda est opera ut Pauperum numerus imminuatur, numquam vero augeatur. Nam ad diligendum, ac defendendum Principem quemadmodum Nobilis Ordo, ac Divites Honoribus, ita Plebeii esca alliciuntur.

Sunt loca quibus nulli Pauperum stipem quaerere licet. Etenim apti ad laborem in Aede publica detinentur, coguntur-que alicui vacare Opificio, qui vero apti non fuerint in Nosocomiis excipiuntur.

CA-

CAPVT VI.

De Scientiis, atque Artibus liberalibus.

ARtium, & *Commercii* ope honeste Populus paupertatem effugere, ac Patriae suae maximae esse potest utilitatis. De his igitur singillatim pertractandum. Artes dividuntur in *Liberales*, & *Mechanicas*. A Liberalibus, utpote dignioribus, incipiam. Quare de his agam, simulque de Scientiis, quominus in partes nimias perperam sermo distrahatur.

Scientiarum Litterarumque Definitionem praemittere idem esset ac ab incepto itinere deflectere, ac Legenti etiam aliquam inferre iniuriam.

Liceat tantum ob oculos ponere quod *Liberales Artes eae sunt quarum vi hominum industria ex se tantum aliquid in esse ponit, quin aliud adhibeat quam Naturae studium* (1). Ex *Ciceronis* sententia Artes illae sunt quibus liberales doctrinae, & ingenuae continentur, ita dictae tamquam dignae quae a Liberis, atque Ingenuis hominibus exercerentur, atque ut ab iis distin-

(1) *Cic. de Nat.* 27. „ Artis maxime proprium „ est creare, & gignere. „

stinguerentur quae vocabantur *Serviles*, utpote magis propriae Servorum, adeoque secundum Ius Naturae omnes Artes sunt Liberales. In genere autem *Ars est praeceptio, quae dat certam viam, rationemque faciendi* (1).

Litterarum pariter, ac Scientiarum Finis est oblectare, atque uno eodemque tempore docere, ac prodesse, cum intellectui, & voluntati verum, ac bonum ostendant, adeoque in Civili Societate sunt maximae utilitatis.

Grammatica, cum doceat loqui aliarum Gentium sermone, in caussa est ut plura insignia earum opera nobis innotescant, utque eas adloqui, & cum iis commercium inire valeamus. Historia est tamquam magistra vitae, morum, & politicae. Eloquentia efficit ut facilius quae opus fuerit aliis suadeamus. Poesis honestam, nobilemqe voluptatem, pulchrasque ideas, atque ingenii acumen excitat; eaeque omnes cultiores & in loquendo, & in scribendo etiam homines efficiunt.

Vniversae Philosophiae partes humanae menti ad ea contemplanda quae cognitione digna sunt maximum praebent au-

(1) *Cic. ad Herenn.* I.

auxilium, docent res definire, atque distinguere, intimeque perspicere, hominesque Sapientes, adeoque admodum Patriae utiles reddunt. Instruit Dialectica ad recte cogitandum, iudicandum, animadvertendum, atque omnia disponenda; Metaphysica ad cognoscendum Numen, hominisque naturam, officia, finem. Physica ostendit quae sint corpora ex quibus commodum, aut detrimentum eruitur, quam admirandum sit Naturae magisterium, quot, & quales sint caussae, & effectus, qui cursus, & usus rerum naturalium, quae sint utilia agrorum culturae, atque ex ea desumitur ipsa quoque Medicina, de qua iam loquuti sumus. Ad plura confert Astronomia, praesertim vero ad progressum Navigationis. Mathesis, omnesque eius partes non tantum mirifice acuunt, atque impellunt hominum mentes ut evidentissime plures dignoscant veritates, sed plurimarum etiam ad artium perfectionem apprime conferunt, ut in dies ostendit experientia. Nulli absque iis Architecti, Agrimensores, ac machinarum inventores reperirentur, atque instrumenta ad artium exercitium necessaria maxima ex parte adhuc ignota forent. Divinarum humanarumque Legum, itemque Arithmeticae pe-

ritiam perquam necessarias esse in Civili Societate nemo nisi amens fuerit in dubium auserit revocare.

Sed quid agam de Morali Philosophia? Optandum esset profecto ut homines universi recte eiusdem principiis imbuti essent. Prae caeteris autem eius exigitur cognitio in iis qui ad alios dirigendos vel ab hominibus, vel ab ipsa natura sunt praepositi. Quamobrem non modo Principes, sed & eiusdem Ministros, ipsosque etiam Patres familias, & aliorum Institutores, atque Rectores in ea versatos esse admodum oportet, ut nil aliud sequantur quam iustitiam, & amorem virtutis, ac ita honoris, & gloriae, non autem voluptatum studio ad agendum, iudicandumque impellantur.

His luculenter, ut puto, praemissis, agnoscent Politiae Ministri quanti bono publico intersit Litterarum, ac Scientiarum studia promovere. Hoc fieri potest suadendo Principi, I. Vt instituat, servetque optimo, atque decenti apparatu Vniversitates, Collegia, Gymnasia, Tyrocinia, Bibliothecas, aliaque aedificia ad puerorum, ac iuventutis educationem, & studiorum commodum comparata, efficiatque ut non desint Magistri a quibus illis

tra-

tradantur non modo Litterarum, Scientiarumque praecepta, sed etiam alia, a quibus ediscant timere Dominum, Patriam diligere, Leges venerari, virtutem propriis anteferre utilitatibus, & commodis, ipsaeque vitae, quae principia adeo a Cicerone, a Seneca, & a pluribus aliis Ethnicorum Philosophis commendantur; atque proponantur optimae morum institutiones, despectio voluptatum, ac divitiarum, item horror contra iniustitiam, mendacium, desidiam, & ostendatur quam turpe sit ingrato esse animo erga eos qui boni aliquid in nos contulerunt. II. Vt honore, ac praemiis afficiat virtutem. Ita enim excitantur ingenia, quemadmodum aurea illa Augusti Caesaris aetate contigisse neminem latet. Russia, & Anglia in hac re percelebres factae sunt ob laudes, ac munera, quae in omni Litterarum, ac Scientiarum genere praeclaris Viris, atque utilium rerum Inventoribus largitae sunt (1).

Animadvertendum enim haec duo communia revera esse tum Scientiis, & Litteris, tum aliis quoque Liberalibus Artibus, hoc est Picturae, Architecturae,

(1) *Savary Diction. de Commerc. Art. Du Commerc. d' Angleter.*

Sculpturae, Musicae, & similibus. Athenas pulchris celebres Artibus Solon effecit. Amasis Aegypti Rex sapientibus illas promovit Legibus. Magnus Alexander, ipse Augustus Imperator, & Carolus Magnus easdem fecerunt maximi. Ita Romani Pontifices complures, quos inter Alexander VII. Clemens IX, atque Leo X. e Medicea stirpe, aliique Regnatores innumeri.

Curandum igitur ut quae in his rebus sapienter fuerint constituta vigeant omnino, atque adamussim serventur, nihilque exoriatur a quo ea sensim pervertantur, deflectendo a Suprema voluntate; totisque viribus nitendum, pro eo quod Politia influere valet in familiarum educationem, ut nemo ab illo Scientiarum, Litterarum, aut Artium genere ad quod a Natura fertur distrahatur; de quo nonnihil dictum est agendo de Moribus.

Plures enim, ut ait *Plutarchus* (1), qui ineunte aetate admodum in studiis huiuscemodi progressuri fuissent, a Parentibus impediti vel ob negligentiam, vel quod ita exigere videbatur quaedam politica, aut oeconomica ratio, terrentur, alio invi-

(1) *In Tract. de Educat. Filior.*

viti vertuntur, atque inutiles, & interdum etiam perniciosi fiunt Patriae, licet alias utilissimi esse potuissent.

Quoad Picturam, atque Sculpturam, cum Artes sint maximo quidem in pretio habendae, non tamen Civili Societati omnino necessariae, non quidem numerus, sed ingenium eorum a quibus illae excoluntur gloriam adfert Civitatibus; adeoque expedit eos protegi quos sperari potest fore ut ad perfectionem tendant; mediocres enim Pictores nonnisi ad fastum, luxumque augendum plerumque conferunt. Fatendum tamen perpaucas esse Artes mechanicas, quarum regulae cum primis saltem Picturae, aut Architecturae principiis quid commune non habeant.

CAPUT VII.

De Artibus Mechanicis.

Artes Mechanicae, sive, ut vocat Cicero, *Fabriles*, illae sunt *quarum ope res quaedam quas Natura ipsa condidit vel modificatae, vel in novam speciem redactae mortalibus fiunt utiles, vel utiliores.*

Quaedam vere aptae sunt ad supplendum vitae necessitatibus, quaedam autem spe-

specie tenus sunt utiles, cum voluptatibus faveant, ac non raro potius damnum inferunt, eo quod vitiis blandiantur. Primas quidem florere, postremas vero potius imminui, ac prope de medio tolli esset optandum,

Omnium Artium princeps, atque utilissima est illa colendi Tellurem, quae *Agricultura* dicitur; efficit enim ut necessariis homines rebus abundent. Illam mortales Divina docuit Sapientia his verbis: „ In sudore vultus tui vesceris pane. „ Numa, teste *Dionysio Halicarnassaeo*, per arva ferebatur, commendans, ac praemiis afficiens Agricolarum industriam, eosque corrigens, atque vituperans qui inertes sese ostendebant. *Tullius* hanc Artem filio commendat, dicens: „Omnium rerum ex „ quibus aliquid acquiritur nihil est Agri„ cultura melius, nihil uberius, nihil dul„ cius, nihil homine libero dignius. „ Romae florente Republica ex Aratro Cives gradum faciebant ad Dictaturam, aliasque praecipuas dignitates, ac turpe erat aliquem ob incuriam agrorum suorum cogi inter Vrbis habitatores permanere: A Sinarum Imperatore eximii tribuuntur Agricolis honores, qui eos usque ad sepulchrum comitantur. Eorum industria in plerisque

Re-

Regionibus annuam Orizae collectionem triplicat. Borussiae Reges illis frequentia munera largiri soliti fuerunt, qui Moros colunt utilius, maioremque Bombycum obtinent copiam.

Opera igitur impendenda est Regimini ut loca adhuc aspera excolantur, modo tamen viis publicis, fluminum ripis, sylvis vel suapte natura non caeduis, vel Lege quadam prohibente non caedendis, Sanitati, publicisque aut privatis iuribus minime officiatur; ut leniantur Agricolarum labores, atque inopia, eorum prospiciatur necessitatibus, a campestribus eorum morbis cura, ac praeservatio adferatur, iisque sit ea libertas, & commodum fruges, atque alia vehendi quae pro Regionum varietate opportuna sint, atque utilia; ut publicae serventur viae, ac proponatur ubi opportunum esset novas etiam sternere, atque aperire, vel fluenta efformare sustinendis apta naviculis, quibus res illae ocyus, ac facilius adducantur.

Ad promovendam Agrorum culturam conferret etiam curare ut praeter necessitatem ex Arvis in Vrbes, atque Oppida non commigrarent qui validi sunt ad laborem, atque Arti huiusmodi adsueti, eosque expellere ut rursus ad Arva redeant,

nisi

nisi in alio aeque utili exercitio versati sint, aut nisi suppetant illis bona quibus honeste possint vitam degere quin alicui sint oneri; ac nonnullos quandoque ex ipsis Civibus, quorum privatio nullius esset detrimenti, impellere ut agrestem vitam suscipiant, iisque obsecundare qui studiis, observationibus, & experimentis requirant quonam pacto Telluris fructus effici possit uberior. Denique Leges universae in Colonorum favorem latae diligenter servandae; quas inter pluribus in locis Feriae quaedam statutae sunt, Messis potissimum, ac Vindemiae temporibus, vetitumque ne pro aeris alieni solutione rustica auferantur instrumenta.

Vt autem ad caeteras Artes progrediamur, praesertim utiliores protegendae sunt toto pectore, & collaudandi maxime, ac honoribus prosequendi qui novas etiam instituerint, quaemadmodum Romae olim ab Alexandro Severo, postea vero a Florentina etiam Republica factum legimus(1). Nemo in Artis suae exercitio impediendus, nisi iis unice casibus quibus hoc sancitum fuerit a Legibus, minusque quam fieri possit. Item disciplina quaedam in ope-

(1) *Giannot. della Rep. Fior. Lib.* 4.

opere quovis conficiendo, atque in Artium exercitio servetur.

Curent Ministri, Summam quoque implorantes Principis Potestatem, ut quisque iustam operis sui mercedem integre, ac prompte consequatur, utque mercedis huius iustitia non modo operibus, verum pro varietate temporum pretiis quoque rerum quae ad vivendum sunt necessariae respondeat, ut Artifices honeste se suasque alant familias. Hoc praemisso, omni severitate utendum erit ut suo quisque honeste, ac diligenter fungatur munere, tum quoad materiae delectum, tum quoad industriam, ut rite opus quodcumque conficiatur, praesertim si ad exteras Gentes mittendum fuerit, ne Mercatoribus cessent mandata, quibus merces ille requirantur. Coerceantur non modo qui materiam ad opus faciendum traditam sibi vindicaverint, verum etiam qui illius confectionem distulerint, aut prave illud confecerint: Quoad Mercedes Operarum attinet vid. etiam Cap. X. Item quae dicta sunt de Scientiis, ac Liberalibus Artibus nunc quoque essent repetenda, scilicet maximam in opificiis gloriam Gentes illas esse consequuturas apud quas unusquisque Arti illi se addixerit ad quam fertur a natura,

atque

atque ad eam sedulo incubuerit. His Legibus, ac Moribus diligenter confecta Opificia solertium Genevae Artificum parvam eorum Rempublicam felicem simul effecerunt, ac apud plures celebrem Gentes, quae permagnas effundunt opes ut illa possideant.

Artes autem potius perniciosas quam utiles, adeoque minime favore publico dignas existimo quae luxui tantum inserviunt non aliarum quidem Gentium, sed Patriae. Malum enim esset duras, ac laboriosas Artes vilescere, utcumque utiles, ac necessarias, ut ad eximium laudis culmen extollerentur quae inani fulciuntur hominum opinione, & curiositate. Itaque sapiens Philosophus Artes huiusmodi non sublatas prorsus, verum quibusdam finibus circumscriptas videre cupit. Sed vid. Cap. II. De Moribus.

C A P V T VIII.

De Commercio.

AGricultura, atque Artes tum Liberales, tum Mechanicae Commercium genuere, illisque deficientibus hoc quoque

que

que deficeret (1). Haec duo inter se iungi, copularique oportet. Si unum praevaleat alteri destruet semetipsum. Agricultura cessante maximus Commercii fons exarescet; industria autem deficiente Telluris fructus nullo haberentur in pretio. His una coniunctis Civilis sustinetur Societas. Confugit enim ad opes quae ex Agrorum cultura, Artiumque, & Commercii exercitio conflantur (2), & quo maiorem rerum quantitatem Agricola, atque Artifex praebent ut venundentur, eo magis augetur Commercium.

Vt autem nullus absque Definitione sermo instituatur *Commercii* nomine latiori sensu *quaevis reciproca communicatio* intelligitur, praecipue vero *quae fit ab hominibus earum rerum, quas gignunt Tellus potissimum, atque Industria*.

Commercii *Materia* esse potest quodcumque efformatur vel a *Natura*, vel ab *Homine*, nisi aut Divino, aut Humano Iure in Commercio esse prohibeatur.

Finis est sive *Necessitas*, sive *Vtilitas*,

---

(1) Navigatio, Piscatio, & Cambium inter Commercii caussas recensentur, at referri possunt ad Artes, cum ex iis consequantur.

(2) *Savary Diction. Univers. De Commerc. in Praefat.*

tas, sive *Voluptas*, quibus impelluntur mortales ut cuiusdam rei copiam adsequantur, eam permutando cum alia quam putant sibi supervacaneam fore, vel cum auro, atque argento, quae pro huiusmodi Permutationis signo habenda esse invicem convenerunt.

Effectus Commercii est ea percipere ab aliis, quibus nostris satisfacere indigentiis valeamus, ac vicissim alienis supplere.

De *Origine* autem Commercii, eiusque apud diversos Populos introductione longum nimis, ac fortassis etiam fastidiosum esset disserere.

Multo mihi praestat illius *utilitates*, ac *necessitates* ostendere. Haec aliae *Physicae* sunt, aliae *Morales*.

Inter Physicas utilitates recensendum quod Commercium auget, ac firma reddit Imperia, servat enim inter ea vinculum pacis, quae ad universas Gentes protendit Commercium ipsum, sine quo Pax etiam corrueret; rerum Naturae circulum promovet, atque efficit ut quae ab illa nobis praebentur munera singulis communia fiant hominibus, quodque alicui esset inutile in alterius vicissim utilitatem convertatur.

Ad Morales autem quod attinet Supre-

premi Numinis Providentia, cuius est opus Natura, pulchra qua illam perfundit varietate voluit homines nexu quodam coniungere, ut se invicem diligant, simulque illud laude, cultuque prosequantur; alter alterum doceat iustitiam, mansuetudinem, tranquillitatem, moderationem, frugalitatem, atque humanitatem. Ita Gens quaevis aliam videt, atque admiratur, cum illa se confert, ac aliquid cum ea commune iam habet; altera alteri est tamquam imago, & exemplar, ac subinde quisquis alterum studet aemulari, illique urbanitate, & morum suavitate praecellere. Quare *Montesquius* pro certo statuit, ubi regnat Commercium singularem etiam comitatem regnare, Regionesque illo expertes ut plurimum nil aliud quam barbaras Pyratarum, ac Latronum sedes inventas esse.

Vtilitatis Commercii pulcherrimum ante oculos exhibent specimen non modo veteres illae Vrbes Tyrus, & Carthago, quas illius ope ad summum gloriae, opulentiae, atque potentiae fastigium pervenisse ferunt Historici, verum etiam florentissima Venetorum Respublica, quae Commercium apud remotissimas Gentes porrexit; Hollandia, ac Respublica etiam

Ge-

Genuensis, quae licet solum valde exile, ac macrum sortitae fuerint, tamen favore Commercii rebus omnibus abundant, ita ut illis quoque alias muniant Gentes, proindeque ditentur; ac denique Anglia, quae in hoc genere principem sibi locum vindicare videtur (1).

Expedit igitur in dies cogitare quomodo promoveri, augeri, ac perfici valeat Commercium, quemadmodum ipsi Angli fecerunt, apud quos etiam praeclara extant monumenta illorum memoriae posita qui in hoc genere immortalem sibi laudem adepti sunt (2). Sed non eodem modo universis in locis eadem a Commercio percipi potest utilitas; quod ut facilius intelligatur varias illius Divisiones praemittendas censeo.

I. Aliud *Internum* dicitur, aliud *Externum*. Primum est *quod eiusdem Societatis membra inter se exercent*, ut sibi invicem opitulentur, atque pro viribus conferant perfectioni, ac felicitati sibi similium. Secundum *quod aliqua Societas Politica exercet cum aliis*, pro bono publico ea Civibus quibus carent comparando. Vtrumque

(1) *Lock Saggio sulla Marina par.* 2 *sez.* 6.

(2) *Savary Parfait Negoc. Montesq. Esprit des Loix Liv.* 21.

que servare est Officium Nationum, quod fulcitur Iure Naturali (1). Hae duae Commercii species, modo recte, sapienterque dirigantur, sunt fons, & origo Abundantiae, atque Opulentiae.

II. Aliud insuper est *Activum*, aliud *Passivum*. Activum in *Extractione*, Passivum in *Introductione* rerum consistit.

Recta mensura utriusque speciei Commercii, hoc est lucri, aut iacturae, utilitatis, aut detrimenti, quae profluunt a mercium, aliarumque rerum de quibus agitur compensatione Gallice dicitur *la Balance du Commerce*. Prout deficient Populis necessaria ad vescendum augeri debet Industria, semper quidem optanda, alias enim si Passivum unice exerceretur Commercium illis ruinam adferret. Artes autem Activum ex se efficientes tantis obsistunt malis, supplentque agrorum sterilitatibus.

III. Commercium consideratur vel *quoad Corpus Politicum*, vel *quoad singulos Cives*.

Quoad Corpus Politicum versatur, ut dictum est, *in interno Circulo rerum venalium*

(1) *Vattel du Droit des Gens Livr. I. Chap. 8.* §. 86. & 87.

lium Regionis de qua agitur, atque in extrahendis redundantibus, & introducendis exteris vel ut absumantur, vel ut alio mittantur. Quoad singulos Cives consistit *in Emptione, Venditione, ac Permutatione*.

Plurima scripta sunt a Politicis quoad augendam, aut imminuendam Commercii libertatem, pleraque tamen libens omittam, Supremorum Principum Voluntati, ac Sapientiae relinquens (1). Hoc unum dicere liceat quod in hac materia quaecumque constituatur regula, nisi vires universae pro executione Legum destinatae simul laborent enixe, summaque fidelitate ut quae vigent Iussa Normaeque adamussim serventur, quodcumque innovatum fuerit deterius fiet priori Iure, & Consuetudine. Etenim si nec veteres nec novae Leges serventur nullus ex variis Ordinibus quibus Populus constat acquiescet animo; quae sola Animadversio mea quidem sententia sufficit ut Politiae Ministri plane sen-

(1) Vid. *L* 11. *l*. 14. *C. de Contrah. Empt.*, *ibique Interpretes. David Mev. ad Ius Lubecen. Lib.* 3. *tit*. 5 *art*. 11 *n*. 1., *& seqq*, *& in Addit ad tit*. 4. *Iul. Capon. Discept*. 262. *Tom* 4. *Marquard de Iur. Mercator. & Commercior. singulari Lib* 4. *Cap*. 6. *Fritsch. Syllog. varior. Tract. Cocceium ad Grot. Lib*. 2. *Cap*. 12. §. 1. *Wolf. Instit. Iur. Nat. & Gent*. §. 1099.

sentiant quanti momenti sit totis viribus cavere ne quis inter subditas Gentes in hac re vel minimum audeat a Principis Legibus, ac Voluntate deflectere. Insuper quasdam adiiciam Observationes.

Commercii Libertas opes auget, atque conferre potest ad prosperitatem Agriculturae, Artium, & Industriae. Prudens autem Commercii intra certos fines circumscriptio efficere valet ut facilius, atque commodius Populus vitae suppleat necessitatibus, adeoque ut maior fiat frequentia Civium, quae est vera Nationum Opulentia, Vis, ac Magnitudo. Illi enim quotiescumque compererint lucrum quod ex eorum operibus percipiunt vix, ac ne vix quidem ad se ac familiam alendos sufficere, non modo abstinent a nuptiis, atque a desiderio sobolis, sed in alias quoque migrant Regiones.

Praeterea Annonae caritatem, (modo illi pecuniae vis, artes, & industria non suppleant, ex quibus uberes fructus percipiantur,) crimina, fraudes, mala fides, mulierum impudicitia, stipem quaerendi abusus, aliaque mala consequuntur, quae si de diutina re agatur de Parentibus etiam in filios transeunt, atque ita Populi mores sensim pervertuntur. Contra vero

animadvertunt Politici ex nimia Annonae vilitate nonnumquam Populum in desidiem, & otium labi, adeout minus vacet artibus, industriae, atque agrorum culturae, cum putet fore ut nullo, aut parvo labore commode vitam degat.

Quid in hac materia magis expediat constituere, Principi quidem, ut diximus, omnino est relinquendum. Pertinet autem ad Ministros Politiae omni studio curare, totamque vim Legum adhibere ut quisque fruatur bonis quae ex huiusmodi Constitutionibus manaverint, utque impediantur mala quae utroque casu adversus publicam felicitatem possent exoriri.

Illa autem circumscriptio quam Politica ratio Libertati infert Commercii nullatenus vexatio dicenda est. Nam vera eius Libertas in eo sita est ut facile versetur in iis tantum rebus in quibus generale Societatis bonum illud versari permittit. Si quid excedat destruit Commercium, non sustinet.

Exportatio Annonae utilior est Regionibus quae illa abundant, quam illis quarum Solum non adeo fertile esse solet. Quare perpendendum videtur quaenam sit Frumenti, Vini, Olei, aliarumque rerum utilium quantitas, quae ex toto Regionis

So-

Solo annis praesertim neque uberibus, neque sterilibus colligitur, ut inde inferatur an Tellus universis illius Incolis necessaria porrigat alimenta, atque insuper aliud quicquam suppeditet, quo utile etiam Commercium cum aliis Gentibus iniri valeat.

Exterorum operum invectio extrahit a Populo divitias, eumque ad inertiam impellit, nocetque, praesertim si opinione tenus, non autem revera illorum indigeat; quemadmodum fit dum agitur de iis quae Luxum cultumque Corporis respiciunt. Nec minus aufert divitiarum passivum earum rerum Commercium quibus hominum ambitio enormia pretia constituit; ita ut non abs re dictum fuerit pluris admodum facienda esse quae Mercatores Europae in Orientem ferunt, quam quae ex Oriente ad Europam advehunt.

Principia quaedam adiiciam, quae ab Anglis proponi dicuntur. 1. Exportatio rerum quae superfluunt est cuiusvis Nationis lucrum omnium certissimum. 2. Melior earum extrahendarum modus est illas prius opificio cuidam subiicere. 3. Contra utilius est res exteras invehi potius rudes quam opificio subiectas. 4. Mercium cum mercibus permutatio fere semper utilis censenda est. 5. Invectio apud aliquam

Nationem mercium quae impediant suarum usum, suisque noceant Opificiis, atque Agrorum culturae eius ruinam secum ferre videtur. 6. Exterae Merces, si, ut supra, Luxui tantum inserviant, veram iacturam adferunt. 7. Res necessarias ab aliis Gentibus emere non est quidem malum, sed opes minuit. 8. Res exteras invehere ut ad alias Gentes exportentur revera prodest.

Commercio operam navare potest Civis I. Aliorum Civium opera dirigendo ut rudibus dent formam materiis. II. Apud exteros Mercatores transvehendo Patrias res, atque merces, easque cum aliis, aut cum pecunia permutando. III. Telluris, atque industriae fructus emendo, eos aliis Civibus vendendi caussa.

Omnibus qui praesunt Regimini cordi esse debet ut Commercii regulae simplices efficiantur, ac faciles, itemque ut recte, inviolateque serventur; utque Mercatores nulla animi deiectione afficiantur, immo eorum excitetur dexteritas, quique se honeste, ac probe gesserint, bonam fidem; simulque oeconomiam servando, nullisque laboribus parcendo, honoribus ditentur, & praemiis. In iis tamen coerceantur, aut acriter saltem contemnantur

ne-

negligentia, fastus, luxus, otium, ac vitia, eaque species aemulationis, quae eorum alteri sit noxia; praesertim vero plectantur Decoctores, qui cum propria secum quoque trahunt ruinam Commercii, in egestatem plurimos qui illi conferunt detrudendo; cum plerumque non absit ab iis aut mala fides, aut saltem vesana temeritas, eo quod Negotia susceperint quibus ad finem perducendis sese impares viribus futuros esse dignoscere potuissent. Quare apud nonnullas Gentes comperimus quamdam fuisse propositam Mercatorum Censuram, perpensis eorum bonis, lucris, expensis, Negotiis, propriae, atque alienae fortunae periculis, eorumque etiam Societatibus. Nec desunt qui asserant magis optandum Mercatores esse multos in Civitate, quam multo Divites, ne forte nimiam in caeterorum Mercatorum, aut in verae Libertatis Commercii detrimentum sibi adrogent auctoritatem.

Oportet servari tum Leges, tum etiam Pacta, & Contractus qui Legibus non adversentur. Circumventio intra fines qui a Iure Civili statuuntur ferenda potius quam dissidiis ansa praebeatur; at Iudex non modo aperte comprobare non debet huiusmodi violationes bonae fidei, sed in

cor-

corde suo aegre ferre se non posse eas removere. Quoad Laesionem autem quam vocant enormissimam vitio vertat Mercatoribus perfidiam, & calliditatem, qua interdum abuti solent ut aliorum imprudentiam, aut credulitatem irretiant. Regulae ad coercendam Fraudem, & Malam Fidem ita concipiendae sunt ut non evertatur funditus Contractuum facilitas, atque Libertas Commercii, neque effraena nimis ista introducatur.

Quae de Commercio a plurimis scripta sunt ut Mercatorum, aut Iurisperitorum commodo inserviant silentio praeteream, cum mihi nil aliud quam Bonum Publicum proposuerim; & potius de Annona disseram, in qua magna ex parte versatur Commercium.

CAPVT IX.

De Annona, aliisque ad alendos Populos necessariis.

ANnona proprie est *Res frumentaria, aut alia, quae ad annum reponitur,* veluti Triticum, aliaeque Segetes, ac Legumina, ita dicta quia e terra leguntur, Castaneae, Oleum, & similia. Latiori autem

tem significatione accipitur pro eo quod Italice dicitur, *Vittovaglie*, *Viveri*, idest quodcumque ad sustentandos homines inservit; aut pro *Cibariis*, idest *rebus omnibus quibus animantes vescuntur, & aluntur*. Late etiam extenditur Gallica vox *Denrées*, quae complecti videtur *omnes res venales, quae a Tellure, a Maribus, aut Fluminibus, atque ab Industria gignuntur*.

Recta dispositio Administrationis Annonae recensenda est inter ea quae maiorem exigunt Regiminis curam, eaque versatur in *Qualitate*, *Quantitate* ac *Pretio* rerum quae ad alendum Populum sunt necessariae.

De qualitate quaedam a me dicta sunt *Cap. IV. De Sanitate*; quibus adiici potest quod plura inspicienda sunt quoad modum redigendi in aliam speciem res quas nobis largitur Natura, puta ex Tritico Farinam, Panemque; ex Vvis Vinum, eiusdemque Spiritum ope distillationis; ex Olivis Oleum, & alia, Medicorum, aliorumque Peritorum opiniones requirendo, ut salubrior, utilior, atque minoris impensae modus eligatur; atque ut efficiatur quod numquam deteriora pro melioribus venumdentur. Pascua etiam, Venatio, Aucupium,

Pi-

Piscatio, ac Vinearum plantatio interdum Ministerii exigunt curam. Messoribus, aliisque Agricolis, Horreorum Custodibus, Mercatoribus, Propolis, Baiulis, Molitoribus rei frumentariae, atque Pistoribus statuendae sunt Regulae.

Transeundo ad *Quantitatem* si Commercii Libertatem lubeat cohibere opus erit in Regione de qua agitur, aut saltem in praecipuis Civitatibus existere rerum illarum copiam quibus carere Populus nequit; illae enim non ita facile quovis tempore obtineri possent ab exteris Gentibus ut fieret si cum illis Commercii libertas nullis finibus esset circumscripta; adeoque Horrea, aliaque loca ubi Annona servatur construenda sunt, nihilque omittendum quod ad res huiuscemodi acquirendas, atque servandas opportunum esse videatur; itemque vigilandum ut quotidie ad publicas feratur Nundinas ea rerum illarum quantitas quae in dies necessario exigitur, ne forte iam plane earum defectio, ac fames timeatur. Namque, ut ait *Seneca*: „ Nec rationem patitur, nec ae„ quitate mitigatur, nec ulla Lege flecti„ tur Populus esuriens (1). „ Fames ferro quo-

(1) *Apud Ant. Thys. in Disc. Polit. de Repub. Athen.*

quoque est crudelior, ac mala gravissima ex ea oriri possunt. Caeteris quidem infortuniis adhiberi possunt remedia, nullum vero supplere potest defectui Annonae. Nisi illa opportune congesta fuerit, sero quandoque, atque incassum expetitur. Non eadem tamen illius quantitas ubique est necessaria. Nonnulli inter Boreales Populos carnibus vescuntur magis quam re frumentaria, extant Nationes abstemiae, atque aliae quae a nonnullis abstinent cibis, quibus aliae carere non possent; qua in re vim inferre usibus Populorum nec est salubre, nec tutum, ut dictum est Cap. IV. *De Sanitate*.

Hoc etiam adiiciam quod ubi per Leges licet efficiendum est ut quotannis unusquisque Civium denunciet quicquid in proprio Solo collegerit; ita enim inito calculo deprehendetur an Quantitas Annonae eius pretio respondeat, & an Populo toto anno alendo par aut impar futura sit, adeo ut quae opportuna esse possit de exteris Gentibus ematur.

Quoad *Pretium* vero optandum est ut nimium non ingravescat Annona; sed cum Negotiatores quandoque nil aliud intueri, atque amare soleant quam lucrum, omnesque requirere indagines ut maioris emen-

tibus res suas vendant, ideo res est periculi plena Annonae pretia pro constanti regula constituere, nisi antea pro certo haberi possit nihil contra Legum dispositionem condi, aut exportari. Opinari quidem velim ubicumque Leges sapientissimas esse conditas, cum, ut alias a me dictum fuit, meum non sit Principes instruere; quare ut locus non sit metuendi ne ulla in hac re fraus admittatur satis erit animum advertere ad ea quae proposui de Legum Observantia, ac de Poenis, praesertim Cap. III. Acuendum est tamen quamplurimum in his rebus Ministrorum Ingenium; nulla est enim materia, in qua audaci adeo pertinacia Civium complures publico incommodo suum augere commodum nitantur, quam illa quae Annonam respicit; quod humani generis Societati maxime adversatur, teste Cicerone, qui ita loquitur (1): „ Vt si unumquodque membrum sensum hunc haberet ut posse putaret se valere si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari, & interire totum corpus necesse est, sic si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque quod cui-

(1) *De Offic. Lib.* 3. *num.* 22.

„ cuique possit emolumenti sui gratia So-
„ cietas hominum, & communitas ever-
„ tatur necesse est. „

Vt igitur Annonae caritas aliquatenus imminuatur adhiberi potest quaedam dexteritas, puta alicubi Venditores constituendo a quibus certo pretio tantum res nonnullae venundentur; cavendo ne ad Arva, atque Agricolarum domos Propolae advolent; ad minorem numerum redigendo tum illos, tum alios qui in rebus Annonae vendendis versantur, prohibendoque ne efficere audeant ut res venales ad statutum locum minime perveniant; decernendo loca, ac tempora res illas vendendi; atque omni solertia, & sagacitate prospiciendo ut serventur quaecumque consona fuerint Statutis, & Consuetudinibus Locorum, super quibus tradi nequeunt principia, quae omnibus aptari valeant Nationibus.

Sedula etiam impendenda est cura ut dolus, ac fraus omnis absit ab huiuscemodi Contractibus, proindeque mulctandi sunt qui adulterinis utuntur ponderibus, ac mensuris, vel alio quocumque modo erga Emptores iniuste se gerere auserint.

Denique omne ad se revocat mentis acumen calliditas, qua in Annona potissi-

simum Negotiatores abuti solent *Monopolio*.

Oritur vox ista a Graecis μόνου, & πωλὴ, adeoque si Etymon spectes *unius venditio* appellanda est.

Exercetur vel *Coemptione*, cum unus, aut pauci rei cuiusdam speciem ut maiori vendant pretio magna in copia emunt, vel *Pactione*, cum quidam conveniunt inter se ut res aliquas soli emant, aut vendant, aliosque emere, aut vendere cupientes impediant, sive ut res illas nonnisi certo iniustoque pretio emere, aut vendere velint, quae *Conspiratio in pretium* vocatur. Haec, aliaque complecti videtur celeberrima illa *Lex unica C. de Monopol.*, quam repetit *Zeno Imperator in Constitutione Graeca De Aedificiis privatis*, cui Legi consona est *Nov.* 122. *Cap. I.* (1)

Nocet plerumque Monopolium cum res in qua constituitur ad vivendum est necessaria; quam ob rem variis in locis in *Dardanarios* (2), sive Annonae vexatores quae-

(1) *Vid. L. Vix certis ff. de Iudiciis. L. Annonam 6. ff. de Extraord. Crim. L. Nobilioris 3. de Commerc. & Mercat. L.* 12. §. *ult. C. de Aedif. priv.*, aliasque Leges ad Annonam spectantes.

(2) Ita vocatos a *Dardano* insigni Mago, quasi Dardaniis hoc est Magicis Artibus Annonam in Horrea sua converterent.

quaedam poenae institutae sunt, dolo tamen interveniente, sine quo nemo poenam meretur (1).

Nonnumquam tamen vel *Necessitas*, vel *Vtilitas*, vel *Aequitas* Monopolium exigunt. Interdum enim necessitas postulat ut ad vitandum famis periculum Princeps, aut eo nolente Privati Annonam coemant (2). Ita a *Iosepho* olim in Aegypto factum sacrae testantur Literae (3).

Neque vero sua caret Monopolium utilitate si eo non instituto nimia pretii imminutio Cives ab agrorum cultura, Exteros ab utilium mercium advectione avocaret (4): Si nimium laxatis Commercii habenis inepti Decoctoresque Mercatores Ci-

(1) *Iul. Capon Discep.* 262. *Tom. IV.*, *& Marquard. de Iur. Commer & Mercat. sing Lib* 1. *p.* 3.

(2) *Ludovic Ant. Muratori* in Opere quod inscribitur *La pubblica felicità*.

(3) *Pufendorf. de Iur. Natur. & Gent. Huber. de Iur. Civ. Lib.* 2. *Cap.* 7. *n.* 3. aliique. *Divus Ambrosius de Offic. Lib.* 3 *Cap.* 6, ostendens quam diversa ratione motus fuerit insignis ille Aegypti Servator ab ea quae Mercatores ad Monopolium exercendum plerumque impellit, ait: „ Ioseph „ Sanctus omnibus aperuit Horrea, non clausit, „ nec pretia captavit Annonae, sed perenne sub„ sidium collocavit, nihil sibi acquisivit, sed „ quem ad modum fames etiam in posterum vin„ ceretur provida ordinatione disposuit. „

(4) *Muratori loc. cit. Daumat le Droit Publiq.*

Civitatem implerent (1): Si paucis detrimento adlato publicae consuleretur felicitati (2): ac tandem si levius aliud Vectigal imponi nequeat ad exigendam pecuniae quantitatem, sine qua Principis Maiestas servari nequeat. Hinc Salis Monopolium vetustissimis etiam temporibus invaluisse de Aegyptiis Machabaeorum Libri (3), de Romanis Livius (4), ac Plinius (5), ac de plurimis aliis Nationibus plures testantur (6). Denique utile est Monopolium ut Aerarium dum opus est illico locupletetur. Civitates quaedam, ait *Aristoteles* (7), hunc faciunt quaestum dum indigent pecuniis.

Aequitate exigitur Monopolium si adversus illos instituatur qui adversus nos itidem instituerunt.

CA-

---

(1) *Nic. Christ. de Lyncker ad Vlric. Huber. de Iur. Civ. Lib. 2. Cap. 7. n. 3. David Maev. ad Ius Lubec. Lib. 3. tit 6. artic. 2.*

(2) *Lyncker loc cit.*

(3) *Macab. Lib. 1. Cap. 10. & 11.*

(4) *Lib. 2. Item Cic. pro Lege Manil. n. 6.*

(5) *Lib. 3. Cap. 7.*

(6) *Brechaeus in L. inter publica ff. de verbor. signif. Cuiac. Lib. 3 Observ. Cap.* 31., atque alii qui de Regalibus scripserunt.

(7) *Politic. Lib 1. Cap. 11. Fritsch. Syllog. varior. Tract. de Monopol. Cap. 10. n. 29.*

CAPVT X.

De Officiis quoad Vitam Civilem.

DE Officiis, licet ad mores referantur, tamen seiunctim agere quoad Vitam Civilem satius esse duxi, ut magis hic sermo Legentium animos ad se convertat.

Nihil aptius est in hac vita ad imminuendam malorum quibus divexamur copiam, atque ad plura nobis comparanda bona, quam sincera, reciproca, ac prompta amicitia (1). Hominem enim pro alio homine fecit Natura. Qui diligitur diligit, qui vero laeditur ulcisci cupit. Vnusquisque sibi adrogat Ius obtinendi auxilium ab alio, quod nisi consequatur odio illum prosequitur; odium autem plurimis, atque gravissimis nos onerat malis. Sit igitur ubique inter varios Civium ordines vinculum benevolentiae.

Haec autem sapienter, atque accurate a Romanae Eloquentiae Principe, aliisque doctissimis Philosophis pertractata sunt, ita ut prope nihil addendum esse videatur; eademque de caussa caetera omnia prae-

(1) *Cic. de Finib. Lib. 5. Riccard. Cumberland de Legib. Naturae.*

praeteream, quae a *Iure imperfecto*, sive Locorum usibus profluunt, quaeque sub Vrbanitatis nomine comprehenduntur.

Operam impendere debet Politia ut nemo a praecipuis conditionis suae Officiis deflectat; hoc tamen intelligendum de illis quae oriuntur a *Iure perfecto*, hoc est a *Legum verbis, aut ratione*, aut quae morum integritatem quodam modo respiciunt. Si rem ad trutinam revocaveris permulta haec esse comperies, etiam praeter Vrbanitatem, erga Principem, Civesque eiusdem Aulae addictos, atque Ministros. Item respicientia Nobilium Ordinem, ac Plebem, Viros, & Vxores, Mares, ac Foeminas inter se; plura statuenda inter Parentes, ac Filios, Magistros, atque Discipulos; praesertim vero inter honestos Viros, atque honestas Mulieres, qua in re nostris hisce temporibus laboriosum admodum esset, atque odiosum praecepta tradere; praeterea alia ad Iuvenes, alia ad Senes, alia ad Amicos, alia denique ad Coniunctos spectantia, de quibus singillatim disserere longum esset, fortassis etiam supervacaneum, cum prudentiae, & curae Ministrorum sint relinquenda, quos nonnisi magna cum lenitate, atque aequitate, numquam vero praeter necessitatem in

has

has res suam interponere auctoritatem laudandum est.

Curent tamen ut numquam impune cuiquam inferatur iniuria; praesertim vero ne vilioris conditionis homines eam inferant illis qui in ampliori gradu constituti sunt; est enim etiam Iurisprudentiae principiis valde cohaerens maioris faciendam esse iniuriam pro ratione dignitatis Personae in quam fuerit illata. Etenim cum dignitates omnes a Principe emanent, qui vult varios esse Civium gradus, & ordines, atque est fons, & origo Nobilitatis, ipsa Principis Maiestas, atque Voluntas sperni quodammodo, ac laedi videtur ab iis qui privilegia, & honores ab eo collatos non modo non venerari, verum etiam contemnere audent. Itaque quo excelsior est Viri cuiusdam gradus, eo maior esse debet erga illum reverentia, atque adeo maior est culpa, itemque maior poena infligenda si quis illi iniuriam intulerit.

Contra vero qui aliis gradu, & fortunis praecellunt debent sibi inferiores diligere, iisque opem ferre, ut diximus *Cap. V. De Pauperibus*; ne Populus umquam opinetur eos sibi detrimento esse, non leva-

mini, seseque illorum culpa inopia, atque egestate vexari.

Perniciosum maxime esset Operarum mercedes, itemque Pretia rerum quae a Nobilibus, caeterisque locupletibus Personis emuntur aut negligentia, aut abusu, aut aliis de caussis nimium detineri; cum enim inferiorum Civium cómplures idem cogantur facere eo quod pecunia illis deficiat, hinc fieri posset Opifices a paucis admodum ea qua oporteret celeritate ius suum consequi, iisque revera minus solvi, proindeque Artes, & Industriam languescere.

Minime est etiam Iustitiae consonum contumelia, atque asperitate affici Famulos, aliosque Domesticos, qui suo probe funguntur munere, immo diligendi sunt, solvenda illis stipendia, neque permittendum eos ad extremam vergere inopiam (1).

Multo magis non Religioni tantum Evangelicae, verum etiam Supremae Principum Maiestati, itemque excultis hominum moribus repugnare videtur Servitutis Ius, quo usi sunt Romani, aliaeque Gentes, quarum nonnullae nostris etiam temporibus, eodem utuntur, (licet celebris Mon-

---

(1) *Ecclesiast. Cap.* 7.

Montesquius (1) opinetur plura ex illo Iure erui posse commoda ad Mechanicas Artes, ipsamque Populi frequentiam augendas,) praesertim cum ad Ius vitae, & necis, atque ad absolutum quoad mores super Mancipiis arbitrium protendatur. Nec illa quidem Servitus quae *Glebae* vocatur, utcumque in nonnullis Regionibus invaluerit, a maxima ac sapientissima Aquilonis Dominatrice admitti videtur.

CAPUT XI.

De Causis Civilibus.

SOlet variis in locis Politiae Ministris permitti cognitio Civilium Causarum vel levis momenti, vel quae aliquid habeant admixtum, quod publicam securitatem, aut tranquillitatem respicere videatur.

Ne autem ob alienam malitiam Causae illae ita in longum protrahantur, ut qui bonum Ius habet diu rei suae commodo destituatur, statui solet ab huiusmodi Ministris Iudiciorum formam non servandam, verum *summarie* tantum, ut dicitur, Ius reddendum esse.

(1) *Esprit des Loix.*

Ex eo tamen non sequitur illa quae substantiam respiciunt, adeoque necessarias Probationes omitti debere, puta quoad Libros, ac Documenta exhibenda, audiendos Testes, & similia. Pauperi enim etiam Iudicium tenuis admodum quantitatis pecuniae persaepe magni est momenti, ac fieri potest in illud concurrere easdem Forenses Disputationes, quas in maximis quoque Causis Forum audire solet; quare non sunt spernenda, immo magni quidem facienda Iuris Civilis Principia. Cavendum tamen ne nimia subtilitate levissima quaeque pervestigando ita iudicetur, ut dici possit *summum Ius summa Iniuria*; atque insuper ad vitanda iurgia, atque dissidia quaedam permittenda, aut prohibenda videntur, aliquantisper a Regulis Iuris recedendo, quae alias permitti, aut prohiberi non debuissent (1). Neque admittantur, ut aiunt Iurisperiti, Praesumptiones Praesumptionum, neque existimentur tamquam validae, ac plenae Probationes quae aliquid tantum verisimile ob oculos ponant. Non probat enim aliquid esse quod etiam abesse quandoque poterit.

(1) *Gratian. Discep. For. Cap.* 658. *n.* 8.

rit (1). Ita ex eo quod quisquam alias fraudulenter se gesserit non est illico existimandum fraudem revera in se admisisse, sed tantum facilius esse quod fraus adhibita fuerit ab illo qui ea uti solet, quam a Viro frugi, & honesto. Neque ex iis tantum quae a Iurisconsultis tradita sunt, sed etiam a recta ratione, atque ab ipsius Philosophiae Principiis veritatis, & Iustitiae praeclara Lux erui poterit (2). Audiantur quidem qui Causas patrocinantur, itemque interdum Exactores, Agentes, Procuratores, ut dicitur, ex Mandato, aliique huiusmodi, summa tamen solertia, semperque animadvertendo an ea quae adducuntur vere Legibus cohaereant, & an rei de qua agitur conveniant, nec ne (3).

Occurrent etiam Controversiae super rebus ita levis momenti, ut numquam in Iudicium deductae fuerint, nullaque de iis Lex disponat; quo casu ex alia in simili

(1) *L. Neque Natales C. de Probat.*

(2) *Cic. de Legib. Lib.* I. ubi ait: „ Penitus ex „ intima Philosophia hauriendam esse Iuris Disciplinam puto. „

(3) *Cic. pro Muraena*: „ Cum permulta praeclare Legibus essent constituta, ea Iurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta, & depravata sunt. „

materia perspicua Lege argui poterit ad materiam illam de qua agitur (1).

Aures praebeantur etiam Exceptionibus quibus adducuntur Privilegia, & Beneficia a communi, vel a municipali Iure concessa, licet inde consequi possit a Creditore solutionem minime obtineri; nemo enim nisi Princeps scripto Iuri potest derogare. Tamen si quid dolose gestum fuerit omne adhibeatur arbitrium quod a Legibus non abhorreat ne sub illarum velamine tegi videatur iniquitas.

Neque permittendum omnes pro quolibet re in Iudicium vocari, sed videndum an quid fiat sui Iuris consequendi, aut potius vexandi animo, aut inscitia, levitate, dolore, iracundia impellentibus; item Litigatorum animi compescantur, atque ad transigendum moneantur, ne diutinis locus sit controversiis, praesertim inter Coniunctos, quibus perniciosae, ac funestae plerumque esse solent.

Praeclara insuper Lex Romana „ Aequi-

(1) *L.* 12. *L.* 13 *ff. de Legibus*. *Gravina de Ortu*, *& progr. Iur. Civ. Cap.* 180. *Observ.* 17. *Lib.* 9., ubi ait: „ Ex Iure in Legibus sunt saepe numero „ multa subaudienda nobis, quae Conditoribus Iu„ ris inculcare erat molestum, & infinitum. „ *Abulens. ad vers.* 18. *Cap.* 16. *Deuteron.*

„ quitatem quicumque regat habeto, „ a *Cicerone* relata (1) maxime cordi habenda est. *Aequitas* autem cum *Grotio* (2) definiri potest *Virtus voluntatis, correctrix eius in quo Lex propter universalitatem deficit*; sive *Temperamentum Iuris scripti, strictique*. Respicit illa rationem cognoscendi non modo de Causis Civilibus, verum etiam de Criminibus, sed de illis opportune loquutus sum Cap. III.

Aequitatis moderamen in eo consistit quod Iudex ita se gerat ut se gesturum putaverit ipsum Legis Conditorem si adfuisset, illique res de qua agitur innotuisset, adeout non tollatur Legis obligatio, sed declaretur Legem in certo casu non obligare (3). Igitur numquam corririgatur Lex quae aperte loquitur, verum generalis eius severitas cuidam cui non conveniat casui non aptetur. Laudatur a *Tullio* (4) Servius Sulpicius cum quae proficiscebantur a Legibus, & Iure Civili semper ad facilitatem, aequitatemque referret. Hunc morem sequutos esse Romano-

 rum

(1) *De Leg. Lib.* 3.
(2) *De Aequitate n.* 1.
(3) *Grot. loc. cit. n.* 12.
(4) *In Philippica* 9.

rum Praetores plurimi testantur Historici (1).

Cum autem parva illa Iudicia quae instituuntur apud Politiae Ministros versari soleant super Credito, & Debito, ita quoties Debitor vere inops sit, & non solvendo aequum erit quadam uti facultate solutionem aliquatenus differendi, atque in plura dividendi tempora (2); eo magis si debitum creatum sit in rebus comparandis quae ad vivendum sint necessariae, vel si ambigatur aliquantulum an aliquis sit reipsa debitor, nec ne (3), aut metus sit ne Inops a Potente opprimatur.

Contra vero adhibendus esse videtur Iuris rigor quoties alias aut quadam Naturae Lex, aut Virtus laederentur, vitioque ansa praeberetur; tunc enim lenitas iniquitatem saperet potius quam aequitatem. Turpe quidem, dolosum, atque dignum infamia esset Creditores illaqueare, ac decipere, tantam aeris alieni quantitatem cum illis contrahendo, cui solvendae vel omni-

(1) *Vid. Heinecc. in Hist. Iur. Civ. Lib.* 1. *Cap.* 3. §. 69. *& seqq.*

(2) *Vlpian. L.* 3 *C. de const. pecun.*

(3) *L.* 85. *ff. de Regul. Iur.* „ ibi „ Rem esse iustis Decretis temperandam quoties aequitas, „ desiderii naturalis ratio, aut dubitatio Iuris „ moratur. „

omnino, vel aliqua ex parte sese imparem futurum quis scire poterat; fortunas suas, ac pecuniam dilapidare, in rebus potissimum quae ad luxum pertineant, aut ad vitia, aut nullius sint utilitatis; Legum, ac Iudicis etiam abuti clementia; eam implorare non exigente quidem necessitate, sed ita suadente animo Creditores vexandi, vel ulciscendi iniuriam quam sibi illatam fuisse nimium protervus Debitor putaret eo quod ad Iudicium vocatus fuerit. Nec minus esset scelestum in Creditores succensere, eosque minis, contumeliis, aut percussionibus laedere, sive dolose inficiari se alicui quicquam debere, aut debita contrahere quibus admixtum fuerit quid criminosum; quibus casibus ab aequitate abstinere satius esse putaverim, nisi de extrema agatur inopia, alias enim fraudibus Iudex favere videbitur. Sunt quidem Cives non pauci qui ante Iudicem veneratione, vel metu eiusdem Auctoritatis perculsi suasiones illius tamquam iussa respiciunt, adeoque eius voluntati obsecundant, sed tamen aequitatem sibi proponi in huiuscemodi casibus summopere aegre ferunt.

Omni autem Ingenii acie, ac Iuris peritia utendum est, ut Leges tum Communes, tum Municipales non spernendo,

 quae

quae iubent pacta conventa, Obligationesque servari, uno eodemque tempore totis viribus efficiatur ne sortiantur executionem Contractus qui Simulationem, Falsitatem, Fraudem, Dolosam Machinationem, Malam Fidem, vel Vsuram redolent, utque eorum Proxenetae, aliique perditi homines, qui Iuventuti, atque aliis necessaria in rebus agendis calliditate, & prudentia minime praeditis maximam inferunt perniciem improbitatis suae poenas luant; idemque dicendum esset de Contractibus qui in rebus alienis praeter voluntatem eius ad quem pertinent adhibitis, aut ablatis versantur; at satis contra eos omnes Leges clamant.

Quoad Iudicia Executiva a forma quae a caeteris Civitatis Magistratibus servatur vix, aut ne vix quidem etiam a Politiae Ministris recedendum censeo, vel saltem lenius potius quam durius agendum, cum iis frequenter contingat Mandata in Debitores admodum pauperes relaxare, erga quos adhibenda est omni illa aequitas cui locus esse poterit absque Creditoris detrimento, & Legum violatione, praesertim cum de aegrotis, aut de gravidis agatur mulieribus. Caeterum omnis impendenda est cura ut Sententiae suum sortiantur effe-

ctum,

ctum, utque Creditoribus Ius suum tribuatur.

Feriae tum ad honorem Supremi Numinis, tum iussu Principis indictae servandae sunt (1), earumque temporibus non permittendum quemquam pro Civilibus Causis in Iudicium vocari, nisi dolus etiam accessisse videatur, vel nisi necessitas postulet, aut sit in mora periculum vel iurgii, vel amissionis Crediti, aut tandem nisi de aliis agatur magni ponderis rationibus prudenti Iudicis arbitrio, ut puto, remittendis.

CAPUT XII.

Quomodo se gerere debeant Politiae Ministri.

Ministrorum qualitates muneribus quae illis traduntur respondere necessarium est. In magnis potissimum Civitatibus Politiae partes inter plures Ministros dividi solent, adeoque non omnes iisdem

(1) Servandae sunt etiam Feriae aliarum Nationum, puta Iudaeorum in Causis ad eosdem spectantibus. *L.* 12. *Tit.* 9. *Lib.* 1. *C. de Iudaeis, & Coelicolis.*

pollere dotibus opus erit. Hic autem agam de Virtutibus quarum ope qui aliis praesunt Civium suorum spiritum, & cor bene, sapienterque dirigere, eorumque securitati, atque tranquillitati prospicere poterunt.

Hic animadvertam recte admodum a *Platone* dictum fuisse, non modo de Principe, sed de iis quoque quos ille Populo regendo praeficit, fore beatas Respublicas „ si
„ aut docti aut sapientes homines eas re-
„ gere coèpissent, aut qui regerent omne
„ suum studium in doctrina, ac sapientia
„ collocassent. „ Ita enim noscitur cor hominum, quaeque in variis casibus esse possint causae agendi, & delinquendi, earumque effectus praeveniuntur.

Maxima habemus a Cicerone Praecepta his verbis: „ Civium nempe utilita-
„ tem sic tueantur ut quicquid agunt ad
„ eam referant, obliti commodorum suo-
„ rum (1). „ Atque aliis: „ Vt enim Gu-
„ bernatori Cursus secundus, Medico sa-
„ lus, Imperatori victoria, sic huic Mo-
„ deratori Reipublicae beata Civium vita
„ proposita, ut opibus firma, copiis lo-
„ cupies, gloria ampla, virtute honesta
sit;

(1) *De Offic. Lib.* 2.

„ sit; huius enim operis maximi inter
„ homines, atque optimi illum esse effe-
„ ctorem volo (1). „

Necessarium omnino est etiam Leges omnes quae in Patria vigent perfecte scire, inviolate servare, atque ut eas servet adamussim Populum adigere. Si autem fas sit, atque oporteat quandoque permittere ut a Lege quadam aliquantulum recedatur, id veluti tremens, totque praemissis cautionibus Politiae Minister indulgeat ut quisque sentiat sanctas esse Leges, ac nefas easdem violare (2).

Effraenata ab illo absint Arbitria; sapienter enim aiebat *Plato* (3): „ Salutem
„ esse illi Civitati, in qua Lex Domina
„ est Magistratuum, Magistratus autem
„ sunt Legis servi. „ Etenim, ut animadvertit *Bac. de Verulam* (4): „ Si Iudex
„ transiret in Legislatorem omnia ex Ar-
„ bitrio penderent, „ quod Civium securitati, ac libertati esset infensissimum. Nam cum quilibet homo cupiditatibus divexetur Amoris, atque Odii, perraro admodum absque Legum fraeno veritatem perspi-

(1) *Ad Attic.* 124.
(2) *Montesq. Esprit des Loix.*
(3) *De Legib. Lib.* 4.
(4) *De Augment. Scientiar. Lib.* 8. *Aph.* 44.

spicere, aut sequi posset, quin eius animus voluptatis, aut doloris vi obrueretur. Nulla igitur cuiquam inferenda iniuria sub Auctoritatis fiducia, nihilque terrorem incutiendo exigendum est quod Leges ipsae non exigant(1).

Quemadmodum perspicuas esse Leges oportet, ita Ministrorum iussus, atque instructiones ea ratione concipiendae, ac tradendae sunt ut a quovis intelligi, servarique possint, quin eas eludendi fiat locus.

Ministri Inferiores Superioribus, hi vero Principi de rebus ad Politiam spectantibus rationem reddant. Interdum tamen res ipsa postulat Inferiores etiam recta ad Principem convolare.

Haec autem quatuor in omnibus requiruntur, hoc est *Probitas*, *Iustitia*, *Prudentia*, atque *Alacritas*.

Quoad Probitatem optandum esset in iis ita reperiri ut in Senatoribus exigebat Lex Romana a *Tullio* relata: „ Is Ordo vitio careto, caeteris specimen esto (2). Namque, ut ait *D. Ambrosius*(3): „ Facile faciet Inferior quod fieri videt a Su-

(1) *L. 32. ff. de Iniur. L. illicitas. §. Illicita in fin. ff. de Offic. Praesid.*
(2) *De Leg. Lib 3.*
(3) *In Ep. ad Rom. Cap. 1. Vid. etiam Lib. Officior.*

„ Superiore. „ *Plutarchus* in sua *Politica* inquit quod eorum qui Reipublicae praesunt non modo singula verba, nec res tantum publicitus gestae animadverti, notarique solent, sed virtus quoque, ioci simul, & seria quaeque, Domus, ipsa Familia, Vxor, Cubile curiosius conquiruntur. Publica enim Educatio est tamquam norma domesticae (1). Non abs re igitur ita dispositum legimus (2): „ Iudicet ille „ de alterius errore qui non habet in se„ ipso quod condemnet. Iudicet ille qui „ non agit eadem quae in alio putaverit „ punienda, ne cum de alio iudicat in se „ ferat sententiam. „

Vt ad Iustitiam gradum faciam, praeter illa quae dicta sunt *Cap. III. De Publica Securitate, & Tranquillitate*, & Capite praecedenti, paucis expediam. Servetur illud *Deuteronomii* Praeceptum (3): „ Quod „ iustum est iudicate, sive Civis sit, sive „ Peregrinus. Nulla erit distantia Perso„ narum; ita parvum audietis ut magnum, nec

(1) *Can. In gravibus* 3. *Quaest.* 8.

(2) *Can. Iudicet* 3. *Quaest.* 7. *Vid. Div. Paul. Ep. ad Roman. Cap.* 2. *v* 21., & *Div. Gregor. Pap. Lib.* 26. *Moral. Cap.* 28. *Abulens. ad vers.* 18. *Cap.* 16. *Deuteron. vers.* „ Requirebatur Bonitas Iudicis „ secundum virtutem moralem. „

(3) *Cap.* 1. *vers.* 16. & 17.

„ nec accipietis cuiusquam Personam, „ quia Dei Iudicium est; „ illudque probe intelligatur quod legitur in *Proverbiis Cap.* 17, nempe illum qui Reum absolvit, atque alium qui Innocentem condemnat ambo esse detestabiles; cum cavendum sit non tantum ab Iracundia, sed etiam a nimia commiseratione, qua unum aut alterum Individuum servando totius incolumitas Populi sensim destruitur; ac denique illud *Senecae* (1): „ Non enim aequus Iu- „ dex aliam de sua, aliam de aliena Causa „ sententiam fert. „

Plura dicenda essent quoad Prudentiam, omnia tamen ad unum referenda Praeceptum quod Virtus illa cum Innocentia est copulanda, quod etiam Divinitus traditur (2); scilicet nemini malum est inferendum, sed metuendum ne ab aliis nobis inferatur; idque intra fines tantum provisionis, atque cautionis, & nonnisi admisso etiam in iudicando illo Iuris principio quod in dubio quisque honestus praesumitur; atque in his potissimum, mea quidem sententia, sita est vera Politica.

Numquam nec in aliquem, nec pro ali-

(1) *Lib.* 1. *de Ira Cap.* 4.
(2) *Matth. Cap.* 10. *v.* 16.

aliquo nimis celeriter iudicandum est; numquam ab oris specie, facundia, ingenii promptitudine ad morales animi dotes, ac pulchritudinem, vel a contrariis contrarium inferendum est (1). Corda equidem hominum, & Naturae Iura recte dignoscenda sunt. Vulgo aures praebendae in iis quae patent oculis, quaeque ipsa suadet Natura, non autem in iis quae aliquam Philosophicam exigunt contemplationem; namque ut *Cicero* animadvertit: „ Opinionibus Vulgi rapimur in errorem, „ nec vera cernimus (2). „ Vsus tamen Populi non spernendus, immo Regionis qualitatem, atque historiam Ministri adsequi debent, ne sint in Vrbe peregrini, utque eam instituant in moribus dirigendis rationem quae secundum loci diversitatem sit magis opportuna.

Praeterea qui honestatem, veritatem, & iustitiam diligit caute admodum Relationes audiat criminum, atque vitiorum, neque pro alio habeat quam pro vestigiis, quae sequendo citius, ac facilius ad veritatem pervestigandam iter fiat; ut etiam dictum est *Cap. III.* §. 3. Non raro enim in-

---

(1) *Ecclesiast. Cap.* 11. *vers.* 2.
(2) *De Legib. Lib.* 2.

innoxia quaeque veneno inficiuntur, parva exhibentur ob oculos tamquam ingentia fuerint; nec desunt qui potius comminiscantur quam cessent nocere, atque nunc auri, nunc ultionis cupiditate quibuscumque abuti non dubitent qui nimium illis praebuerint aures (1).

Silentio tegenda sunt quae clam mandantur, & committuntur a Regimine, quaeque illud quodammodo, aut etiam aliena vitia respiciunt, secus enim inutiles quoad Politicam, rationemque Populos regendi fierent Ministri, atque interdum noxii privatorum aestimationi, aut saltem prudentia destituti; attamen non ita a loquendo abstineant ut permagna condere videantur arcana; hoc enim vel suspicionem, vel curiositatem, vel apud quosdam emunctae naris risum etiam excitaret; sed ingenue, & candide pro re nata Cives alloquantur.

Numquam tamen iis agendis dent operam, quae ab eorum Officio absona sint; neque familiaritatis vinculo cum quibusdam adeo coniungantur ut iam arduum sit Iuris aequabilem servare rationem: nulla vero

(1) *Aventures de Telemaque Liv. X. pag.* 411. *Edit. Leyd.* 1713.

vero iis sit amicitiae necessitudo cum hominibus, qui facile aliis molestiam inferre possint.

Contemptio quaevis, ac despicientia apud Populum, in quam prolabi possent Politiae Ministri illos facit multo minus utiles quoad finem quem sibi proponere debet Regimen; in iis enim non tantum exigitur Gratia Principis, doctrina, atque integritas, sed etiam quod diligantur, magnique faciantur a Civibus; proindeque oportet ut pro locorum, ac personarum varietate mores etiam quoad urbanitatem, decusque extrinsecus componant, si cupiunt ut Cives debito eos prosequantur obsequio (1); ne forte illis aptetur quod olim dictum refert *Cicero*: „ Non es mihi, Phi- „ lippe, Consul, quia nec tibi ego Sena- „ tor sum. „ Qua de caussa *Plutarchus* (2) ait quod Plato hortabatur Senes ut Iuvenes venerarentur si ab illis venerationem exigere cupiebant. Itemque, ut monet *Div. Gregor. Nissen.* (3): „ Ipsa figura corporis „ plena iustitiae, gravitatis splendeat, ut „ nec gravitatis, ac severitatis splendor ob-

(1) *Gloss. in C. Frustra de re iudic. Valer. Lib. 6. Cap. 8. D. Hieron. ad Nepotian., aliique.*
(2) *De Praecept. Nuptial.*
(3) *Orat. De his qui praemature abripiuntur.*

„ obscuretur, neque latens in animo vis „ propter humilitatem despiciatur, sed al- „ terum aequaliter in utroque tum in cel- „ situdine, ac sublimitate comitas, & hu- „ manitas, tum in humilitate viceversa „ gravitas, & severitas animadvertatur; „ cui addenda illa *Ciceronis* verba (1): „ Est „ igitur proprium munus Magistratus in- „ telligere se gerere personam Civitatis, „ debereque eius dignitatem, & decus „ sustinere. „ Atque alia (2): „ Cuius & „ vita, & oratio consequuta mihi videtur „ difficillimam illam societatem gravitatis „ cum humanitate. „

Mansuetudo enim prae caeteris expetenda est, ut diximus etiam *Cap. III.* §. 3. neque umquam contumeliis, atque conviciis quisquam vexandus. Sapienter, ac pie animadvertit *Card. Caietanus* (3): Deum ipsum dum Cain redarguit fratris interfectorem ex eo percontatum esse: „ Vbi est frater tuus? „ & subdit: „ Non „ aliqua utitur contumelia, non inquit, o „ sceleste, sed absolute inquirit, ad in- struen-

(1) *De Offic Lib* I. *n.* 124.
(2) *De Legib Lib.* 3.
(3) *Ad Genes. Cap.* 4. *v.* 9. D. *Crysostom. Serm.* 3. *de Lazaro Theodoret. ad* 2 *Reg. Cap.* 15. *ver.* 19. loquens de Davidis lenitate, & mansuetudine.

„ struendos Iudices ut abstineant a con-
„ tumeliis. „

Plato apud *Ciceronem* (1) : „ Hoc „ quoque Legis putavit esse, persuadere „ aliquid, non omnia vi, ac minis coge- „ re ; „ non modo ne quis ira percitus resistat, sed etiam ita exigente humanitate, atque ne in spretum fiant arbitria, aut vociferationes, quae de alio in alium transeundo ita effundantur ut iam Populus parvi facere, aut etiam aspernari incipiat Regiminis Ministros, quod vidimus illi esse semper infensum. Si ipsi Principes in excipiendo quovis subditorum Civium summa utuntur Benignitate, & Clementia, nonne eorum aliquem erga Concives suos elatius se gerere turpe erit, ac reprobandum? Itaque eum etiam collaudaverim qui dum aliquos nimio perculsos dolore perspexerit, eo quod ab illo audiverint iuberi ut asperam aliquam subeant poenam, non modo a verbis abstinuerit, ex quibus apparere possit se laetitia exultare ob eorum calamitatem, sed aliquam potius commiserationem prae se tulerit, eos adloquutus humaniter (2), modo firmiter constanterque

(1) *De Legib. Lib.* 2.

(2) *Philo Iudaeus* narrat quod Moyses „ verbis quan-

que illis ostendat Poenam quae a Regimine infligitur necessario esse subeundam, neque ullatenus Mandata exequi omittat; ita enim Populus Ministrum ipsum punientem non odio, & execratione, sed veneratione, atque amore prosequetur (1).

Tamen pro veritate dicendum est non semper, neque cum omnibus eamdem adhiberi posse mansuetudinem, tum ob aliquorum pervicaciam, insolentiam, rusticitatem, tum etiam quia Ministri pluribus necessario intenti, ac in magnis quandoque agendis occupati nequeunt diutius quam oporteat a levissimis rebus, puta contumeliosis inter Mulieres dictis, Iudiciis super minima pecuniae, aut rei quantitate aut aestimatione animose institutis, aliisque huiusmodi nugis distineri, adeoque si cito ab illis se expediant, aliquos etiam a se reiiciendo, non Imprudentiae, sed Alacritati vertendum, de qua nonnulla supersunt dicenda.

Maxima ea quidem expetenda est in rebus illis quae suapte natura nullam admit-

---

» quantum poterat sublevabat Israelitas, Praefe-
» ctos subinde admonens ut moderarentur, laxa-
» rentque nimiam in urgendo duritiem.»

(1) *Cic. pro Muraen.* 134. » Sapiens Praetor of-
» fensionem vitat aequalitate decernendi, bene-
» volentiam adiungit lenitate audiendi. »

mittunt moram, puta Tumultus, Rixae, atque alia Crimina quae immineant, ac statim impediri valeant; ac inter Infortunia Incendia, Ruinae, Inundationes, & similia; ac praeterea ea omnia quae Supremi Principis Voluntas fieri illico iubeat (1). Alia autem Negocia detinenda non sunt nimis cunctanter ultra fines quos Facti natura exposcit, nam plura inde oriri possent mala, ac praesertim quod ille in quem, exempli caussa, Probationes aliquae fierent interim maius patraret scelus, vel a Civitate evaderet, quodque difficilius a Testibus erui veritas posset, vel quia corrupti fuerint, vel quia non amplius reperirentur. Servandum tamen quod ait *Quintilianus* (2): „ Nihil rerum ipsa Natura „ voluit magnum effici cito. „ Adeoque in iis quae maximam exigunt diligentiam quoad celeritatem moderatio aliqua saepe est admittenda.

(1) „ Vidisti Virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit, nec erit inter ignobiles „ *Parab.* 19. *Salomon. relata a Bac. de Verulam, de Augm. Scient. Tom.* 2 *Lib.* 8. *Cap.* 2.

(2) *Oratoriar. Instit. Lib.* 10.

FINIS.